3

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG

ORD. MED. IN ACAD. LIPS. DECANI

INSTITVTIONES PATHOLOGIAE PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS ACCOMMODATAE.



EDITIO ALTERA EMENDATA.

LIPSIAE

IN OFFICINA LIBRARIA GLEDITSCHIANA,

MDCCLXVII.

COMMILITONIBVS HVMANISSIMIS.

S.

In corrigendis libellis academicis, quibus vniuersae doctrinae medicae ratio proponitur, me semper occupatum esse, muneris mei et vitae conditio exigit. Cum enim quotidie sanitatem et morbos in caussis, symptomatibus et signis examinare soleam, ea insuper, quae a recentioribus doctoribus in libris variis declarantur, perpendam, et ita de his rebus ex ordine institutionum mearum exponam, continuato semper studio et me et alios instruere tento. Equidem, cum ad edendos denuo varios medicinae dogmaticos libellos me accingerem, de physiologia primum emendanda sollicitus esse debuissem: sed quoniam haec, vt prima disciplina, ex physicis, anatomicis et chemicis doctrinis multa repetit, inque ea tradenda variae hypotheses examinandae et ex parte expungendae sunt, studium in hanc rem impendendum plus otii exigere videbatur, quam mihi hucusque concessum fuit. Vrgebat

interim

interim bibliopola nouam pathologiae editionem, quam nunc vobis trado, poſtquam in ea non adeo augenda, ſed potius emendanda operam collocaui. Id enim potiſſimum egi, vt cuncta, quae in omni pathologiae ambitu proponenda ſunt, definitionum claritate, propoſitionum accurato ordine, nexu et veritate et verborum ſelectu Vobis placere poſſent, vt iam in ipſa eius interpretatione veris exemplis vti, et hanc diſciplinam ad reliquas practicas accommodare poſſim. Vos vero, optimi Commilitones, hanc et alias diſciplinas medicas generales Vobis commendatiſſimas habeatis, quo fundamentis artis accurate poſitis ad veram cognitionem adſpiretis, quae nec vili empyria adquieſcit, nec hypotheſibus fictis incerta fit. Valete. Dabam Lipſiae menſe Martio A. O. R. MDCCLXVII.

PATHO-

PATHOLOGIAE PROLEGOMENA.

§. 1.

Qua methodo pathologia, ſiue ſcientia eorum, quae in homine aegroto eueniunt, tractari queat, in methodo doctrinae medicae a §. 153 ad 160. expoſuimus; nunc, cum ſumma illa capita ampliori ſermone illuſtrare aggredimur, quaeſtio omnino oritur, an pathologiam ita cum phyſiologia comparare queamus, vt eamdem capitum ſeriem aſſumamus, eumque nunc ordinem in aegroto corporis ſtatu explicando obſeruemus, quem in ſano paulo ante ſeruauimus? Omnibus tamen rite perpenſis, ab aliis receptam methodum nobis quoque probatam eſſe debere, intelligimus.

§. 2.

In phyſiologica enim corporis conſideratione vna eademque in omnibus eſt ſanitatis idea; conſenſus autem omnium actionum, quae ab homine fieri poſſunt, *Meth. doctr. med.* §. 136. naturam ſanitatis nobis ſiſtit. Haec in aetatibus, *Phyſiol.* §. 594. *ſeqq.* temperamentis, §. 624. *ſeqq.* aliisque hominum differentiis, §. 625. paululum quidem variat, non ve-

ro eſſentialiter a ſe diſcrepat: in aegroto autem corporis ſtatu tantae differentiae hominum occurrunt, quae in vniuerſa oeconomia animali et in particularibus quoque corporis actionibus ſe exſerunt, vt tot fere morbos diuerſos ſiſtant, quot homines inueniuntur.

§. 3.

In homine quidem aegroto ipſa vis vitae quasdam hominis ſani actiones, plus minusque perfectas, ſuperſtites adhuc eſſe docet; attamen ad vim morbi quoque ſeu cauſſas laedentes et actiones laeſas reſpiciendum eſt. Hinc in ſymptomatologia quidem eumdem prorſus ordinem ſequimur, quem in phyſiologia generali et ſpeciali inſtituimus, dum effectus laeſionum partialium in variis actionibus perpendimus: ſed haec in compendio vix proponi poterunt, niſi generalis omnium morborum eorumque cauſſarum doctrina praemittatur.

§. 4.

Specialis itaque pathologia, quae certe noſtra ſymptomatologia eſt, facilius intelligitur, ſi antea morborum natura et differentiae generales ex principiis phyſicis ita declarantur, vt ad ſpecialiſſimam partium corporis fabricam non reſpiciamus, ſed mutationes corporis animalis morboſas, quatenus fieri poſſunt, in noſologia generatim explicemus, et ſimili ratione cauſſas, quibus illae inducuntur, earumque effectus disquiramus. Ita enim idea generalis in prima, ratio huius in ſecunda, et ſpeciale examen morboſarum affectionum in tertia parte pathologiae traditur.

§. 5.

Licet autem hoc modo in doctrina de cauſſis et effectibus morborum ipſa quoque ſigna exhibeantur,

antur, ſemioticam tamen morborum in quarta parte addimus, quo ea ſigna, quae ex generali idea morbi, ex cauſſarum indole, et tandem ex actionum varietate deducuntur, non tantum ſuo ordine proponi, ſed et medici iudicium de morbo praeſenti et futuro eius euentu accuratius determinari poſſit.

§. 6.

Pathologia igitur hunc in modum optime delineatur.

Pars I. NOSOLOGIAM ſeu generalem morborum conſiderationem ſiſtit; agit itaque

Cap. I. De morbo in genere eiusque diuiſione.

II. De differentiis morborum eſſentialibus: ſcilicet

Sect. 1. De morbis particularum, ſolida et fluida componentium.

2. De morbis fluidorum.

3. De morbis ſolidorum.

4. De morbis partium compoſitarum, viſcera et organa conſtituentium.

III. De differentiis morborum accidentalibus.

Pars II. AETIOLOGIAM ſeu cauſas morborum explicat, ideoque agit

Cap. I. De cauſſis morborum in genere.

II. De cauſſis occaſionalibus.

III. De cauſſis praedisponentibus.

IV. De cauſſa proxima.

Pars III. SYMPTOMATOLOGIAM ſiue effectus morborum fuſius proponit, et propterea agit

Cap. I. De ſymptomatibus in genere.

II. De actionibus vitalibus laeſis.

PARS I.
NOSOLOGIA
SIVE
CONSIDERATIO MORBI GENERALIS.

§. 7.

In hac tractatione nec nuda morborum nomina indicare, neque definitiones eorumdem, vulgo receptas, recensere animus est: nos potius a sanitatis notione ad morbi ideam progrediemur, et primarias, easque ex ipsa corporis natura petitas, notiones coordinabimus, quo essentiales morborum differentiae a symptomatibus et aliis accidentalibus affectionibus distinguantur.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT I.
DE MORBO IN GENERE EIVSQVE DIVISIONE.

§. 8.

Sanitatem vix vllo in homine esse perfectam, nec actiones, a corpore perficiendas, semper aequali in omnibus partibus consensu vel conueniente constantia, peragi, experientia quotidiana docet. Porro patet, non omnia corpora aequali robore actiones perficere, sed inde variam in variis assumi debere sanitatem. Si igitur sanitatem perfectissimam, quam in physiologia delineauimus, cum imbecillitate plurium hominum, qui sani videntur, comparamus, ipsa iam idea morbi inde oritur.

§. 9.

Vix vero morbus praesens esse dicitur, si homines pluribus actionibus necessariis subeundis haud impares inueniuntur. Eos enim, a quibus actiones cum cita defatigatione suscipiuntur, imbecillos tantum appellamus. Tunc vero aegrotare vt plurimum dicuntur homines, cum in actionibus vniuersalibus vel particularibus corporis insignis quaedam obseruatur laesio; v. c. languor ex motu sanguinis per minora vasa impedito, hinc per maiora accelerato, quem in febre obseruamus; dolor in parte neruosa tensa, vt dolor dentium; tumor in faucibus, deglutitionem laedens.

§. 10.

Est itaque morbus praeternaturalis quaedam dispositio corporis, actiones eius laedens, cuius praesentiam medicus cognoscit et diiudicat, si, actione laesa sensibus percepta, ex physiologicis doctrinis repetit, quaenam caussae in corpore sano ad hanc actionem perficiendam concurrant, et ex corpore aegroto accuratius considerato intelligit, cur haec actio fieri nequeat: v. c. difficultas deglutiendi est actio laesa, quae aliquando a sero et muco, in faucibus tumorem producente, et descensum boli facilem impediente, oritur.

§. 11.

Complexus omnium eorum, quae in aegroto corpore praeter naturam eueniunt et obseruantur, ab aliis multis morbus dicitur. Hinc non tantum morbus ipse, sed et caussae et accidentia eius, confuse simul perspecta, ab imperitis et forte non nullis medicis assumuntur, et nomine quodam recepto, saepius vago et obscuro, insigniuntur; ex qua confusa corpo-

corporis morbo affecti consideratione nulla huius vera diiudicatio elicitur.

§. 12.

In morborum genesi primo caussae, successiue applicatae et auctae, dispositiones quasdam corporis praeternaturales inducunt, quae morbum sistunt, §. 10. qui sine effectibus esse nequit, sed hos potius vt accidentia, quae symptomata dicere solemus, coniuncta habet. Medicus autem ad aegrum accedens haec symptomata primo considerat et colligit, ac ita ad laesionem praecipuam seu morbum ducitur, in eius autem examine numquam tuto procedet, nisi inde ad caussarum considerationem regrediatur.

§. 13.

Methodus autem pathologiam in scholis docendi neutro ordine satis commode instituitur, cum generale examen nunc a caussis, nunc ab effectibus, incipere queat: exponendae potius sunt mutationes et in fluidis, et in solidis, nec non in compositis partibus, visceribus nempe et organis, quas medicorum attenta obseruatio vt dispositiones, quae actiones laedunt, §. 10. cognouit et in ordinem digessit, quo paulo post caussae et symptomata, et in se, et in relatione ad signa subiungi queant. His enim bene perspectis, medicus habitum acquirit, morbum vt complexum omnium eorum, quae in aegro eueniunt, §. 11. diiudicandi.

§. 14.

Multae itaque res, quae in examine morborum medico se offerunt et coniunctae sunt, accurate separandae et in ordinem redigendae videntur, quo methodus doctrinae pathologicae recte instituatur.

Cum autem praecipua cura eo conuertenda ſit, vt ex ideis varie inter ſe comparatis ad primariam actionem laeſam deducamur, ex qua ad reliquas apte regredi liceat, optimum videtur, in noſologia generales morborum differentias, a medicis inuentas, proponere, et ita rationem omnium morborum vniuerſalium eruere et delineare.

§. 15.

Differentiae morborum igitur, a nobis nunc disquirendae, exigunt, vt illas ex natura ſiue compoſitione corporis eruamus, et omnes modos poſſibiles, quibus vel totum corpus, vel eius partes praeter naturam afficiuntur, oſtendamus; id quod praecipue in capite ſequenti de differentiis morborum eſſentialibus praeſtabimus. Cum vero a medicis variae etiam morborum differentiae accidentales, eorumdem theoriam egregie illuſtrantes, in hanc recipiantur, de iis paulo poſt acturi ſumus.

CAPVT II.

DE DIFFERENTIIS MORBORVM ESSENTIALIBVS.

§. 16.

Ex ſolidis et fluidis partibus corpus componi, et per reciprocam et aequalem earumdem actionem vitam et ſanitatem perfici, vniuerſa phyſiologia docuit: in praeternaturali itaque harum partium diſpoſitione, actiones laedente, §. 10. corporis morbos poſitos eſſe, liquido conſtat. Et licet vix omnes morbos per corporis leges mechanicas tantum explicare queamus, cum et animae operationes ſaepius laedantur,

dantur, et intima neruorum natura atque motus, ab iis dependentes, nobis non pateant, medicus tamen hos morbos eatenus diiudicare valet, quatenus ex corporeis qualitatibus dependent; qualis eſt v. c. mania et melancholia, ex ſanguine atrabiliario ſpiſſo orta. *Meth. doctr. med.* §. 69. 70.

§. 17.

Subſiſtamus itaque in corporeis conditionibus, praeter naturam mutatis, quas vel in particulis, ſolida et fluida componentibus, in ſe conſideratis, vel in fluidis ſiue humoribus, collectiue ſumtis, vel in ſolidis, ſcilicet fibris et canalibus minimis, obſeruamus. Quo vero ex his primis principiis ad compoſitos magis morbos progrediamur, partium deinde compoſitarum, ſiue viſcerum et organorum corporis, morbos expenſuri ſumus, qui et fabricam partis laeſae mutatam, et motus fluidi in ſolidis peruerſos aut prorſus impeditos, accuratius definiunt.

****

SECTIO I.

DE MORBIS PARTICVLARVM SOLIDA ET FLVIDA COMPONENTIVM.

§. 18.

In disquirenda corporum natura ad elementa regredi, et ex his mixta, ex varia eorum proportione formata, diiudicare, difficillima, immo impoſſibilis res eſt. Licet enim per attentam particularum aggregatarum conſiderationem quasdam mixtarum affectiones hariolari potius, quam definire queamus, obſcurae tamen ſunt ideae, quae vix aliquam

claritatem adipiſcuntur: hinc varia, quae hac in re circa pathologicam minimorum mixtorum explicationem tentata ſunt, indicare facilius, quam ad certam cognitionem deducere poterimus.

§. 19.

Baſin corporum noſtrorum efficit terrea particula, quae cum aquoſa intimius coniuncta ſalinam conſtituit, et ita ad oleoſam ſoluendam ſibique vniendam apta redditur. *Phyſiolog.* §. 138. *ſqq.* Quae particulae omnes vera in proportione, et in variis corporis partibus, et in variis corporibus ſuo modo mixtae, particularum niſus regulares, indeque aequales motus et veram ſanitatis ideam in qualibet particula mixti ſiſtunt. Hinc ſola proportio mixtionis, in particulis aggregatis laeſa, morbum, niſus irregulares efficiendo, inducit, qui tamen vario modo ſe exſerit.

§. 20.

Cum vero peruerſa haec mixtionis ratio in ſe conſiderari, et ex proportione laeſa accurate declarari nequeat, eruamus effectus inde prouenientes, denſitatis et raritatis, elaſticitatis atque molis auctae et imminutae, niſus maioris et minoris inde dependentis; et ratiocinando magis quam experiundo morboſas diſpoſitiones, a minimis corporis partibus incipientes, quodammodo deducamus.

§. 21.

Minima itaque aggregati particula iuſto denſior dicitur, ſi moleculae componentes, in arctius ſpatium contractae, materiam propriam nimis copioſam habent, interlabentem vero excludunt. Talis particula, in fluidis mota, impetu ſuo in vicinas vehemen-

vehementius agit, easque resoluit, in solidis autem, cum vicinis connexa, non aequabiliter cohaeret. Rarior vero non adeo arcte compacta particula, materiam interlabentem copiosius admittens, facilius in mixtione sua resoluitur, et solidis apposita non arcte satis adhaeret.

§. 22.

Ex his elasticitas declaratur, illa scilicet vis particularum, qua compressae in pristinum statum redire nituntur, per quam ideo nisus particularum in se inuicem definiuntur: penitus enim durae particulae, quae vlterius comprimi non possunt, vix in vniuerso dantur, neque in nostro corpore, etiam in morboso statu, inueniuntur. Duritiei tamen diuersi gradus sunt, quibus elasticitas augetur, et non numquam in morbum vertitur; vti et contrarium statum mollitiei siue elasticitatis imminutae in particulis, solida et fluida componentibus, inueniri posse concedimus.

§. 23.

Moles particularum seu earumdem volumen augeri minuique potest, ita, vt, licet mixtio aequabilis sit, et elementa in iusta proportione cohaereant, magnitudo tamen ea non sit, quae ad aequales aggregati particulas constituendas conuenit. Simili ratione et figura particularum variari potest, ad quam tamen sensus nos non deducunt, cum sphaerica, in omnibus corporis nostri humoribus admissa, nec semper certo definiri, nec recessus ab ea in aliam quamlibet morbosam euidenter indicari queat.

§. 24.

Etsi igitur certum est, in his primis, corpus componentibus, particulis mutationes morbosas omnino

omnino deprehendi, claram eae tamen morborum cognitionem nobis non ſuppeditant. Relinquamus aliis elementarium, mixtarum et aggregatarum particularum disquiſitionem, ex affectionibus corporum vniuerſalibus determinandam; nos ad compoſitas progrediemur, quae noſtris ſenſibus magis patent, vel proxime ex certis experientiis, indolem minimarum particularum indicantibus, genuino ratiocinio deduci poſſunt, et morboſas conditiones, in ſolidis et fluidis, ſeparatim conſideratas, examinabimus.

* * * * * * * * * * * * * * *

SECTIO II.
DE MORBIS FLVIDORVM.

§. 25.

Collectionem particularum aggregatarum, quae ita inter ſe cohaerent, vt pondus, piſo circiter aequale, ſeparationem earum efficiat, fluidum conſtituere in genere aſſumimus, *Phyſiol.* §. 137 et aquam potiſſimum, copioſius admixtam, hanc diſpoſitionem in fluidis corporis noſtri perficere cognoſcimus *Phyſiol.* §. 138. ſimulque declaramus, fluida, quae ſolidas partes in corpore noſtro ſemper exſuperant, *Phyſiol.* §. 241. in diuerſis temperamentis diuerſam indolem ſeruare, *Phyſiol.* §. 635. quae tamen diuerſitas, dum modo ſolidis proportionata ſit, ſanitatem non laedit, *Phyſiol.* §. 626. hinc, laeſam tantum eorum proportionem et ad ſolida relationem morbos humorum inducere, certum eſt.

§. 26.

Conſideratur vero haec proportio laeſa in quantitate et qualitate: priorem in humoribus collectiue

ue ſumtis, reſpectu ad ſolida continentia aſſumimus; alteram in ſingulis particulis aggregati, ratione molecularum mixti variantium disquirere deberemus; ſed quia ex dictis in ſectione praecedenti hanc cognitionem obſcuram deprehendimus, eam tantum in humoribus, collectiue ſumtis, conſideramus, ita, vt ex quibusdam affectionibus eorum, per experientiam obſeruatis, deprauata mixtio non quidem accurate demonſtretur, ſed cum aliqua probabilitate admittatur.

§. 27.

Siſtit vero quantitas laeſa vel copiam, vel inopiam humorum, ideoque plenitudinem et vacuitatem vaſorum et cauorum, πληθώραν et κενεαγγίαν, qualitas vero laeſa deprauationem humorum ſiue cacochymiam exhibet, quae in varias ſpecies iterum diſtinguuntur. De quibus quidem omnibus nunc ſigillatim agendum erit.

§. 28.

Sanguis eſt humor corporis vniuerſalis, quo verbo non tantum rubicundam partem, quam cruorem dicimus, *Phyſiol.* §. 177, ſed etiam reliquos inde progredientes humores ſeroſo lymphaticos, in circulo vniuerſali humorum poſitos, generali ſignificatione intelligimus. Cum autem copia ſanguinis et humorum, in corporibus contentorum et motorum, ob differentiam eorum inſignem accurate definiri nequeat, plethora dicitur ea humorum abundantia, quae ſyſtema vaſorum nimium diſtendit *). Vti enim abundantia moderata euchymiam ſiſtit, ſic auctior ad morbum diſponit, et in continuato augmento eumdem refert.

*) „Plethora, quo vocabulo ſemper loco plenitudinis „vtimur, vt plurimum abundantia boni ſanguinis ap-„pella-

„pellatur: cum autem differentia inde non ſatis „eruatur effectum eius generalem ſimul indicaui-„mus.

§. 29.

Plethora in veram ſeu abſolutam, et in ſpuriam ſeu apparentem diſtinguitur: illa copiam humorum ſenſim collectam et auctam, vaſis minus proportionatam, exhibet, haec vero non adeo aucta ob diſpoſitiones quasdam morboſas ſolidarum fluidarumque partium ſymptomata verae plethorae inducit.

§. 30.

Vera plethora in ſanguineam et ſeroſo-lymphaticam ſiue obeſam diſpeſcitur. Quomodo enim tunc, cum ſanguis rubicundus, in corpore collectus et auctus, robore vaſorum vere denſatus, vaſa ſyſtematis ſanguinei vltra modum diſtendit, plethora ſanguinea oritur; ſic obeſa naſcitur, ſi ſanguis, ex bono et copioſo chylo auctus, in cruorem non adeo denſatus, nec nutritioni optime inſeruit, nec ſe et excretionibus diſſipatur, ſed ad cellulas pinguedinis et lymphae tranſit, easque vltra modum replet et diſtendit, ideoque in vaſis ſeroſo-lymphaticis et cellulis praecipue haeret. *Phyſiol.* §. 249.

§. 31.

Spuria plethora in ſolidis, maſſam humorum non recte coercentibus, potiſſimum cernitur. In imbecillis enim, quorum ſolida relaxata et debilitata ſunt, vel vniuerſalis eſt, et plethora imbecillium dicitur, vel partes quaedam, v. c. vterus et pulmones, decubitum partialem ſanguinis experiuntur. Oppoſita autem ratione, rigiditate et ſtrictura ſolidarum partium inducta, ſpaſtica ſaepe oritur plethora *), quam ob cauſſam ſenes praecipue ad eam diſponuntur.

*) Cum

*) „Cum ſpaſtica ſtrictura et in imbecillis ſaepe excite-
„tur, eo quoque ſuo modo referri poſſet.

§. 32.

Sed ſpuria quoque ex fluidorum indole pendet; ſi enim haec ex variis cauſſis inaequali ratione euoluuntur, et motu inteſtino aucto turgent, orgaſmus oritur. Nam hic, ab externo calore, vehementi animi affectu, victu aromatico et potu ſpirituoſo excitatus, interdum plethoram incaleſcentem efficit, praecipue tamen internae cauſſae dyscraſiae humorum, in febribus euolutae, febrilem plethoram excitant. Cacochymica demum plethora, quae his iungi poſſet, ex humorum qualitate laeſa melius cognoſcitur *).

*) „Diſtinguunt alii plethoram in eam, quae ad vires eſt,
„et in aliam, quae ad vaſa dicitur: quoniam vero in
„vaſis ipſis vires fluidorum mouendorum continen-
„tur, fundamentum diſtinctionis non ſatis certum eſt.

§. 33.

Vacuitas vaſorum ſiue κενεαγγία eſt inopia humorum, quae raro ex defectu bonae nutritionis ſubinde exiſtit, rariſſime ex ieiuniis diuturnis inducitur, ſemper tamen cum deprauatione humorum coniuncta eſt. In ſyſtemate ſanguifero per inſignem haemorrhagiam interdum ſubito inducitur defectus cruoris, ſanguinis autem et humorum ſeroſo-lymphaticorum poſt graues morbos, quamquam felici criſi ſuperatos. Excretiones nimiae humorum a vitiis diaetae vel medicamentis incommodis, v. c. in ſudore nimio et ſpermate copioſius profuſo, lente quoque vaſa euacuant.

§. 34.

Si ſanguis rubicundus et reliqui inde deriuati humores non tantum in aggregatione particularum ſiue globu-

globulorum coniunctorum, ſed in mixtione quoque ob varias cauſſas a ſtatu ſano recedunt, deprauatio, quam cacochymiam dicimus, inde oritur. Quamquam autem ſolida quoque his nutrita male afficiuntur, et cacochymia deprauatum corporis habitum ſiue cachexiam inde refert, in origine tamen morbi ad fluida potiſſimum reſpicimus.

§. 35.

Veteres medici cacochymiam ex abundantia humoris vitioſi, phlegmatici ſcilicet, pituitoſi, bilioſi et melancholici, diiudicabant: cum autem recentiores, chemicis tentaminibus edocti, fluidorum indolem ex proportionata aquae, terrae, olei et ſalis mixtione accuratius declarare ſoleant, *Phyſiol.* §. 140. *ſeqq.* tentandum omnino eſt, an qualitas humorum vitiata, in aggregatis ſaepe conſpicua, ex his principiis deriuari queat.

§. 36.

Temperamenta non tantum in ſolidorum, ſed in fluidorum quoque diuerſa ratione poſita eſſe, *Phyſiol.* §. 628. *ſeqq.* ideoque aggregatas et mixtas fluidorum partes et in ſanis variare, conſtat. Cum autem in iis proportio fluidorum et inter ſe, et ad ſolida, adhuc maneat, eaque variis diaetae erroribus laedatur, cacochymia demum naſcitur, et morbi ideam affert.

§. 37.

Etſi tenuitas, ſpiſſitudo et acrimonia praecipuae cacochymiae ſpecies dici, ac priores ex cohaeſione particularum imminuta et aucta intelligi poſſunt, melius tamen ex mixti particulis, quatenus in fluidis aggregatis per phaenomena apparent, explicandae erunt, vt quatuor praecipuas cacochymiae ſpecies,

aquo-

aquoſam, pituitoſam, atrabilariam et ſalinam conſtituamus, et quantum fieri poteſt ex geneſi declaremus.

§. 38.

Cacochymia aquoſa ſiue ſeroſa adeſſe dicitur, ſi aquoſa pars ſanguinis et reliquorum humorum nimium augetur. Haec autem aquoſa pars, reliquis particulis humores conſtituentibus, copioſius quidem, aequaliter tamen et intime admixta, vix vt morbus conſiderari poteſt, cum ſolidis proportionata inueniatur. Eſt tamen diſpoſitio ad morbum, in quo ſerum non prorſus admixtum aggregatas fluidorum partes nimium diſſoluit, earum interſtitiis ſe interponit, et ita veram tenuitatem humorum efficit.

§. 39.

Viſcidum et glutinoſum humoribus noſtris proprium eſſe, alibi docuimus, *Phyſiol.* §. 145. Hanc humorum ſpiſſitudinem in ſano ſtatu iam obſeruamus, ſi mucoſus humor ex glandulis folliculoſis, aliquamdiu ibi moratus, excernitur, *Phyſiol.* §. 218. *ſqq.* Pituitoſa autem cacochymia particulas terreſtres cum aquoſis ita coniunctas ſiſtit, vt oleoſae et ſalinae parcius intercedant, ex qua re immobilitas et tenacitas viſcida oritur. Sanguis igitur ipſe, chylo viſcido non ſatis ſubacto inquinatus, et reliqui humores inde producti, hanc mutationem patiuntur, vt, vera elaboratione non ſuccedente, pituita viſcida in vniuerſo corpore generetur.

§. 40.

Atrabilaria cacochymia in oleoſarum particularum praecipue abundantia cernitur, quae tamen a reliquis ſeparatae non circumducuntur, ſed cum ſa-

linis et terreſtribus adeo arcte cohaerent, vt aquoſas vix admiſceri patiantur. Inde quidem ſanguis rubicundus potiſſimum atrabilaria ſeu picea ſpiſſitudine inquinatur, ex eo tamen per vlteriorem elaborationem deducti humores minus recte miſcentur, ſed ſimili labe piceae tenacitatis afficiuntur. Atram bilem veterum vix accuratius definiri poſſe, ex phaenomenis patet.

§. 41.

Si copiam inſignem et diuerſitates ſalium conſideramus, quae varia ratione generantur, et per chemica tentamina elaborantur, cacochymiam ſalinam, in corpore humano ſuſceptam et ibi vlterius euolutam, apte definire et diſtinguere haud poſſumus: ſufficiat igitur, ſi in maxime cognitis, acida, muriatica et alcalina volatili, praecipua ſpecimina addamus, et ex his praemiſſis compoſitas varias cacochymias et acrimonias humorum in vniuerſum adumbremus.

§. 42.

Ex inſigni vegetabilium, quibus veſcimur, numero plurima in acidum vergunt, hinc ſaepius acidum non tantum in canali alimentorum haeret, ſed ad ſecundas quoque vias deducitur. Hoc in canali inteſtinorum haerens facile cognoſcitur, ſanguinis poſtea viſcido naturali obuolutum vix ſe prodit, in lymphae autem viis variis ſignis, inprimis coagulo, cognoſcitur. Cacochymia igitur acida reliquias particularum vegetabilium ſalinarum, in corpore non ſatis ſubactas, nobis ſiſtit. Quoniam autem quaedam acidi veſtigia in humoribus ſemper ferme adſunt, abundantia demum cacochymia dicitur.

§. 43.

Plurimi homines condimentum ſalis communis cum cibis, *Phyſiol.* §. 761. et nonnulli ſat copioſe ſumunt. Licet vero illud non tantum in primis, ſed et in ſecundis viis partim ſubigatur, partim ſeparetur, tamen vel ob copiam ſalinarum particularum, vel ob defectum fluidi ſoluentis, vel ob inertiam ſolidorum in imbecillis non ſatis immutari poteſt, hinc remanentes in humoribus particulae cacochymiam muriaticam efficiunt.

§. 44.

Alcalina fixa ſalia non facile tam copioſe ſumuntur, vt acrimonia inde oriri poſſit, nec victus animalis, *Phyſiol.* §. 746. et non nullae plantae alcalinae volatiles, *Phyſiol.* §. 764. 765. huius acrimoniae copiam introducere videntur; ea potius tunc demum augetur, ſi circulatio humorum violentior particulas ſanguinis et ſeri ita reſoluit, vt ad alcaleſcentiae geneſin disponantur. Et facilius forte ſal ammoniacale produci poterat, cum ſal commune, alcalinis volatilibus partibus iungendum, in corpore adſit, vt hanc cacochymiam alcalino volatilem vel ammoniacalem dicere queamus.

§. 45.

Haec ſpeciminis loco, vt cacochymiae ſimplices, adducta ſunt, cum in innumeris mixtionum, inprimis morboſarum, varietatibus porro deſcribendis vix finem inueniremus. Saepe enim compoſitae ſunt, v. c. ſalina et oleoſa bilioſam et rancidam ſiſtunt; ſic ex ſalinarum praecipue muriaticarum particularum abundantia aquoſa pars humorum nimium reſoluitur, et tenuitatem ſcorbuticam efficit. In examine igitur morborum compoſitorum, quibus

 cacochy-

cacochymia accedit, ad vnam vel alteram antecedentium regrediendum erit.

§. 46.

Enaſcuntur porro ex venenorum efficacia, et in morbis contagioſis praecipue, v. c. lue venerea vel variolis, ſubtiliſatae quaedam cacochymiae ſpecies, quae ad hactenus enarratas non referri, nec ex mixtione ſua, vt decet, declarari poſſunt, ideoque ſpecificas ſic dictas cacochymias exhibent. Interdum tamen etiam in his ad cognitas cacochymias redeundum eſt. In putridis v. c. morbis et peſte ea, quae de alcalina volatili cacochymia diximus, §. 44. non prorſus negligenda ſunt, licet naturam morbi tantum ex parte declarent.

§. 47.

Cum autem in variis cacochymiis rodens et irritans particularum vis obſeruetur, dyſcraſia humorum morboſa, quam etiam materiam morbi ſiue miaſma dicimus, vt plurimum generali acrimoniae nomine inſignitur. Et cum aquoſae, oleoſae et terreſtres particulae in ſe illam vim non habeant, ad ſalinas potiſſimum, vel in ſe, vel cum prioribus iunctas, reſpicimus. Etſi denique omnis acrimonia vi mechanica agit, particulae tamen, non mixtione, ſed ſola figura laedentes, v. c. vitrum fractum, non ad cacochymias, ſed ad cauſſas morboſas extrinſecas referri merentur.

SECTIO

SECTIO III.

DE MORBIS SOLIDORVM.

§. 48.

Vt in ſano, ſic etiam in aegroto homine, particulae fluidorum ſuo modo elaboratae ad ſolida transeunt, fibrasque, ex particulis denſis mediante glutine connexas, et deſtruunt et nutriunt, *Phyſiol.* §. 253. Hinc fluidorum vitia ſolidis quoque adhaerent. Cum autem haec mutatio, in minimis corporis animalis fibris eueniens, accurate definiri, et vt tranſitus ad morbos ſolidorum aſſumi nequeat, non ſolum fibras minimas glutine cohaerentes, ſed etiam in contextum tenuem cellularem compoſitas, et tandem in minima caua regularia ceu vaſa formatas, vt in *Phyſiologia* §. 125. *ſeqq.* ſic et nunc conſideramus.

§. 49.

Cohaeſio igitur particularum et fibrarum minimarum compoſitarum tanta eſt in ſolidis, vt baſin compagis animalis efficiant. Sed vti fluidorum particulae, motu inteſtino euolutae, varieque mixtae et aggregatae, differentiam humorum animalium ſiſtebant, ſic in fibris cohaerentibus ea quoque mobilitas remanet, quae non tantum in varietate corporum, et varia fabrica partium vnius eiusdemque corporis diuerſiſſima eſt, et niſum, reſiſtentiam, tenſionem et oſcillationem prodit, ſed etiam in morboſo ſtatu innumeras varietates laeſionum contemplandas offert.

§. 50.

Quemadmodum autem in ſano corpore diuerſiſſimos motus ad elaſticos et vitales reducere tentamus,

mus, ſic et aegro accedentes mutationes ex his deducimus. Elaſticitas igitur a glutinis fibras firmantis indole pendet, et in diuerſis temperamentis diuerſum virium robur gignit, ideoque morbi inde deducti in laxitate et rigiditate ponuntur. Vitalis autem motus, cuius cauſſa prima non ſatis definiri poteſt, miniſterio fluidi neruei fit, et aequabili influxu blandam oſcillationem efficit, in morboſo ſtatu vel debilitatem vel ſtricturam exhibet.

§. 51.

Laxitas fibrae oritur, ſi particulae hanc componentes ita inter ſe cohaerent, vt terreſtres, baſin conſtituentes, rariores ſint, et ipſum gluten intercurrens ob inſignem tenuitatem non ſatis cohaereat *), ideoque ad niſus proportionatos non valeat. Fibrae autem compoſitae et canales inde formati fluidis impulſis cedunt, ab iis nimis diſtenduntur, ideoque humores non ſatis vrgent, nec veram elaborationem efficiunt. Hinc lentor humorum et pituitoſa ſtaſis.

*) „Tam laxa cohaeſio particularum ſolidi, vt fluidi in-
„ſtar reſoluantur, numquam adeſſe videtur, cum in
„tenero infantum corpuſculo etiam tot fibrae denſae
„iam formatae ſint, quae intimam diſſolutionem im-
„pediunt.

§. 52.

Contraria ratio eſt rigiditatis fibrae, quae tunc ſe prodit, quando particulae terreſtres ita abundant, vt intermedium gluten denſitate et ſiccitate ſua ad ipſam terreſtrium particularum indolem accedat, et niſus in punctis contactus auctis nimius reddatur *). Fibrae inde compoſitae minus flexiles ſunt, et cum impulſui fluidorum non cedant, in iis etiam porro mouen-

mouendis et elaborandis non apte reagunt. Nascitur inde immeabilitas et atrabilaria stasis.

*) „Haec nimia cohaesio particularum solidi senilibus „corporibus magis propria est, aliqua tamen fluidi mo„uendi vis semper adest, licet quaedam fibrae, v. c. „in ossibus, ad fragilitatem ceu summum rigiditatis „statum disponantur.

§. 53.

Debilitas est languor motus vitalis, siue parcior et lentior influxus fluidi neruei in fibras minimas compositas. Haec quidem fibris muscularibus, in quibus praecipue se exserit, tantum propria videtur, nec tamen dubium est, eamdem ad alias fibras compositas, fabrica musculari non adeo conspicuas, extendi, nisi forte quis vrgeat, fabricam omnis fibrae minimae, ad motum aptae, musculari similem esse. Languor vniuersalis minimas partes organorum et viscerum tangit.

§. 54.

Strictura est violenta fibrae contractio, a fluido nerueo, vehementius in fibram quamlibet animalem impulso, oriunda, et ob tensionem fibrarum vicinarum dolore molesta, hoc ipso enim a blando oscillatorio motu in sanis differt. In musculosis quidem fibris euidentior est, et tremore finitur, sed in minimis quibuscunque vasis quoque euenit, et aequabilem fluidorum transitum impedit.

§. 55.

Morbi solidorum generales a nobis nunc vt simplices considerati sunt, numquam tamen nisi in compositis motibus apparent, in quibus elasticitas imminuta et aucta, laxitas et rigiditas vitales vario modo moderatur, cum e contrario quoque vitales mo-

tus in debili et ſtricta fibra varios effectus exſerant: in motibus tamen compoſitis recte diiudicandis vix verſari poſſumus, niſi principia motus ex minimarum particularum indole repetamus, et inde in cauſſas inquiramus.

§. 56.

In imbecillis quidem debilitas ideo obſeruatur, quoniam elaſtico robore carent, fluidum autem nerueum ipſum in corporibus, in quibus nulli humores recte elaborantur, idoneas vires accipere non poteſt. Sic in robuſtis ſaepe ingreſſus morborum malignorum celerem proſtrationem virium inducit, quae ſumma debilitas eſt, in quibus cauſſa non in defectu roboris elaſtici, ſed in male affectis neruis ponitur. In rigido itaque ac laxo corporis ſtatu motus vitalis debilitas locum habet.

§. 57.

Simili prorſus ratione ſtrictura fibrarum et laxa et rigida corpora afficit, cum in vtrisque is elaſticitatis gradus non ſit, qui aequalem et blandum fluidi neruei affluxum admittit; cedit mollities laxae fibrae, eaque vehementius conſtringitur; reſiſtit rigida, vehementem influxum vrget. Et, vt in ſanis diuerſi gradus motuum compoſitorum in fibris varia ratione irritatis obſeruantur, ſic in aegris quoque inſignis differentia locum habet.

§. 58.

Si fibrae cuiuslibet, vel ſimplicis vel compoſitae, inter ſe cohaerentes particulae, vel ob nimiam tenſionem, vel ob acre interpoſitum diſſoluens, ex nexu ſuo turbantur, oritur laeſio continui, quam vnitatem ſolutam appellare ſolemus, quae quidem in minimis

nimis fibris ſenſu non percipi poteſt, in partibus autem ex his compoſitis magis cognoſcitur, et in vulnerum differentia declarabitur. §. 70.

§. 59.

Ex fibris, iuxta ſe inuicem in planitie poſitis, membrana, ex membrana conuoluta canalis componitur, *Phyſiol.* §. 133 *ſeqq.* ac vtraque pars vel ex fibris ſimpliciſſimis, vel iam compoſitis formatur; ſolida itaque praeter morbos fibrae, in ſe ſpectatae, ex eo, quod cauitatem formant, alia adhuc cauitatis auctae et imminutae vitia ſuſcipere valent, de quibus in generali hac ſolidorum morboſorum tractatione adhuc agendum eſt.

§. 60.

Cauitas vero canalis triplici ratione augeri poteſt, ſcilicet, 1) in *ἀναστομώσει,* ſi orificia canalium, in ſuperficie corporis externa et interna maioris cauitatis hiantia, nimium ampliantur, et nimiam inde humorum eorumque, qui coerceri debebant, copiam dimittunt. 2) in *διαπηδήσει,* ſi fibrae, latera canalis componentes, a ſe inuicem ſecedunt, ita, vt fluida contenta canalem diſtendere, et tandem per interſtitia facta in caua cellularia transſudare poſſint. 3) in *διαιρέσει*, quae vera ruptura canalis et plenaria ſeceſſio fibrarum componentium eſt, et ex antecedentibus binis iam cognoſcitur.

§. 61.

Cauitates canalium vel imminuuntur, vel prorſus implentur 1) ab obſtructione, ſi humor traiiciendus quocumque modo ſpiſſior et immeabilis redditur, et tranſitum humoris ſequentis impedit, quae

ἔμφραξις dicitur. 2) a compreſſione, ſi tumor enatus latera canalis ita comprimit, vt hic fluida transmittere nequeat. Dicitur vero στενοχωρία in eo caſu, vbi tumor in ipſis canalis parietibus haeret, et θλίψις, vbi tumor canali vicinus deprehenditur. 3) a collapſu, ſi fluida, quae canalem diſtendunt, in vicina caua ſubito et cum impetu effunduntur, et latera canalis collabuntur, quam συνίζησιν appellant. Spaſmus fibrarum, canalem componentium, cauitatem per aliquod tempus imminuit, numquam tollit.

§. 62.

In triplici hoc caſu canalis prorſus deſinit eſſe canalis, et vel fibris eius omnibus inter ſe, vel cum ſtagnante humore coalitis, vera oritur σύμφυσις, ſiue laterum coalitus et in denſiorem et compoſitam magis fibram concretio. Quamuis etiam ſimilis vaſorum mutatio, ſucceſſu temporis, ab humorum motu, per ſenectutis naturam lentiore facto, in omnibus hominibus, et ſanis quoque eueniat, et ideo vix morboſa dici poſſit, ex hac tamen canalium concretione nimis aucta ſenilia corpora tandem ad morbos et mortem naturalem inde pendentem disponuntur.

SECTIO IV.

DE MORBIS PARTIVM COMPOSITARVM, VISCERA ET ORGANA CONSTITVENTIVM.

§. 63.

Ad compoſitas magis humani corporis partes accedimus. Omnes eius machinas particulares, quae ex eo, quod fluida per vaſa easdem componentia

tia mouent, vel alia ratione actionem quamdam perficiunt, viſcera et organa dicuntur, generatim conſideramus, et quo modo morbi in iis oriri poſſint declaramus. Attendimus autem primo ad fabricam laeſam, deinde ad motum fluidorum per ſolida morboſum, eorumque copiam vel auctam, vel imminutam, indolemque deprauatam, tandem ad fluida, in ſolidis ſubſiſtentia et cum his corrupta.

§. 64.

In fabrica viſcerum et organorum laeſa ad ſolida praecipue reſpicimus, licet et fluida in his moueantur. Solidarum itaque partium coordinatio, in ſe conſiderata, figuram, numerum, magnitudinem, proportionem, ſitum et nexum earum indicat, quae ſuo modo cuncta a ſtatu naturali recedere poſſunt.

§. 65.

Cum figura limes extenſi ſit, in ea laeſa ad lineas, quibus partes organicae circumſcribuntur, et vitium inde ortum attendimus. Superficiem v. c. oſſium inter ſe iunctorum in gibboſis mutatam deprehendimus, ſi corpora vertebrarum ab vna parte magis compreſſa, ab altera iuſto ampliora conſpiciuntur.

§. 66.

Numerus partium componentium interdum augetur, interdum minuitur, id quod in monſtroſis corporibus cum euidenti ſaepius actionis laeſione fit; interdum vero, dummodo fabrica non mutetur, actio vix laeditur, v. c. teſticulus ſimplex vel triplex, dentes deficientes vel duplices; interdum autem ad varietatem ſtructurae corporum pertinet, vt arteria vel vena duplicata vel deficiens.

§. 67.

§. 67.

Magnitudo in diuerſis hominibus varia eſt: hinc, proportione non ſimul conſiderata, tanquam morboſa aſſumi nequit. Ventriculus nimium expanſus, inteſtina, per partes contracta et expanſa, proportionatam magnitudinem laedunt. In hydrocephalo et vario hydrope, a fluido extra vaſa miſſo, caua extenduntur, et magnitudo partium contra naturam augetur; ab omni obſtructione tumor et inde magnitudo aucta, in defectu ſuccorum exinanitio vaſorum, magnitudo imminuta ſiue marcor oriuntur.

§. 68.

Situs morboſe mutatus aſſumitur, ſi vera coordinatio partium non obſeruatur. Inteſtina interdum morboſe collocantur in herniis, viſcera omnia, raro tamen, inuerſo ordine collocata inueniuntur, vel vnum alterumque per tumores praeternaturales ex ſede ſua dimouetur, id quod in vaſis, neruis, muſculis et tendinibus ſaepe ſimili ratione contingit.

§. 69.

Nectunt partes contextus celluloſus intercurrens et ligamenta; ſi igitur haec vel nimium extenduntur, vel nimium corrugantur, actio inde pendens vel prorſus non, vel difficulter perficitur. Frenulum linguae, longius productum, coalitio partium morboſa, in abdominalibus viſceribus obſeruata, immobilitas membrorum a tendinibus, cum cute poſt contextus celluloſi deſtructionem coalitis, et alia exempla hoc ſatis illuſtrant; ipſa laeſionis continui et vulneris conſideratio varia nexus laeſi ſpecimina exhibebit.

§. 70.

Vulnus in partibus ſolidis conſideratur, et eſt vnionis ſolutio, cuius differentia varie definitur: in duris enim oſſibus fractura vel fiſſura, in molliori-bus partibus vulnus, ſtricte ſic dictum, appellatur, attamen pro diſcrimine cauſſae eiusque applicationis varia nomina obtinet, puncturae, fiſſurae, dilacerationis, contuſionis, eroſionis et rupturae, quae vel ratione externae et internae cauſſae, vel ratione inſtrumenti laedentis varie diſtinguuntur.

§. 71.

Hae et aliae laeſiones veros quidem morbos ſiſtunt, quoniam hominis ſani fabricam, per anatomen et phyſiologiam cognitam, inuertunt; interdum tamen ſine euidenti actionum laeſione obſeruantur, cum motus in partibus, etiam non rite diſpoſitis, actiones quidem quodammodo mutatas ſiſtat, ſed laeſionem actionum vniuerſalium non inferat: interdum vero varia vitae incommoda inde oriuntur, quae non numquam conſuetudine ſenſim inducta quodam modo corriguntur.

§. 72.

Si in partibus compoſitis ad humores contentos ſimul reſpicimus, tunc eos vel celerius vel lentius moueri poſſe obſeruamus. Motum celeriorem in circulo humorum vniuerſali febrem, in generali ſignificatu ſumtam, dicimus; motum vero lentiorem lentorem humorum appellamus, qui ad ſucceſſiue natam et paulatim auctam obſtructionem ducit, cuius quidem mutationis morboſae naturam in cauſſis et effectibus plenius examinabimus.

§. 73.

§. 73.

Porro quoque in partibus compoſitis ad humores, morboſe auctos vel imminutos, ad corruptionem eorundem, et tandem ad errorem loci reſpicimus. Priora maximam partem ex iis repetenda ſunt, quae de humorum vitiis paulo ante declarauimus §. 25. *ſqq.* vltima vero conditio potiſſimum hic conſideranda eſt, vbi obſtructionem et extrauaſationem humorum in primis attendimus.

§. 74.

Humor ſpiſſior, in anguſta vaſa ductus, obſtructionem, vel leuiorem eius gradum, quem infarctum dicere ſolemus, declarat. Cruor ſeu ſanguis rubicundus, in vaſa teneriora, ſerum et lympham alias vehentia, inductus, eadem obſtruit, et ob violentiorem ſanguinis, a corde impulſi, impetum, et ob ſpaſmum fibrarum, canalem obſtructum conſtituentium, vterque motus a vi vitae incitatus inflammationem efficit, quam in parte affecta durities, calor, et dolor concomitantur, in externis autem partibus ſimul rubor conſpicitur,

§. 75.

Geneſis inflammationis, quam ſanguini in cellulas effuſo adſcribunt nonnulli, et per phaenomena probant, ex vaſis arterioſis vnice deriuanda eſt, vnde continuata in cellulas quoque diffunditur. In priori caſu, adhibitis genuinis auxiliis, diſcuſſio et reſolutio ſtagnantis humoris fieri poteſt, quae in altero vix obtinetur, cum meabilitate obſtructi non praeſtita putrida reſolutio ſequatur, quae tamen in varia cauſſarum applicatione varia eſt.

§. 76.

§. 76.

Si enim ſanguis ſtagnans bene miſtus eſt, et ex corpore ipſo boni humores affluunt, putredo, qua partes ſolidae et fluidae deliqueſcunt, ita temperatur, vt pus bonum, album, blandum et ſpiſſum generetur. Cum itaque partes corruptae a ſanis, interueniente blanda inflammatione et ſuppuratione limitum, ſecedunt, apoſtema ſiue abſceſſus oritur. Tenendum tamen eſt, interdum etiam bono puri aliquam ichoris partem admiſceri, indeque pus tenue in abſceſſu generari.

§. 77.

Si autem ſanguis et humores ſtagnantes deprauatae indolis ſunt, ex corpore ipſo mali ſucci affluunt, et reſolutio corrupti apta medendi methodo non temperatur, putredo non coercetur, ſed augetur, et in contextu celluloſo proſerpit, ideoque gangraena et ſphacelus oriuntur. Prior in contextu celluloſo, partes organicas inuoluente, haeret, et has intactas relinquit; alter ad tenuem contextum celluloſum, qui partes organicas ſimul conſtituit, progreditur, easque prorſus deſtruit.

§. 78.

Et ſerum et lympha interdum ſtagnant, idque ſi in glandulis aut ſimilis texturae partibus eueniat, tum illa ab initio lenteſcunt, poſt modum teneros eorum tubulos prorſus occludunt, et cum iis, quaſi in vnam maſſam concreſcendo, durum formant tumorem, quem ſcirrhum appellamus, qui diu ſaepius in corporibus occultus haeret, interdum vero, ab aliqua cauſſa externa internaue irritatus, cancrum producit, qui deſtructionem partis cum plenaria

naria et ſingulari prorſus humorum corruptione efficit.

§. 79.

Si corrupti humores in vulnere §. 70. haerent, vel in abſceſſu impurum et tenue pus §. 76. vel ichoroſa colluuies §. 77. 78. diu retinetur, partes ſolidae vicinae laeduntur, irritantur, criſpantur, vulnerisque vel eroſae partis ſuperficies impura fit atque ſordida. Tales laeſiones in partibus ſolidis mollioribus vlcera dicimus, quae vel oculis patent, vel in anguſtos ſinus excurrunt, quo in caſu vlcera ſinuoſa, aut, ſi ſuperficies calloſa facta fuerit, fiſtulae dicuntur, in oſſibus vero laminarum corruptionem et ſeparationem ſiue cariem inducunt.

§. 80.

In extrauaſatis humoribus partim ad ipſos humores, in caua lateralia propulſos, partim ad cauum, in quod excurrunt, reſpicimus. Sanguinis ex ruptis vaſis effuſio in vaſa cellularia ſugillatio appellatur, quae, ſi leuior eſt, reſorptione ſtagnantis humoris discutitur, grauior autem ad inflammationis mutationes tendit, §. 75. *ſeqq.* Seroſa ſanguinis pars aut ichor, in ſimilia loca effuſa, oedematis, in caua maiora delata, hydropis in genere conſiderati ideam exprimunt. Aer elaſticus in cellulas progreſſus emphyſema producit. Ex quibus, niſi reſorptione aut euacuatione tolluntur, corruptio humorum oritur.

CAPVT

CAPVT III.

DE DIFFERENTIIS MORBORVM ACCIDENTALIBVS.

§. 81.

Ex iis, quae capite antecedenti expoſuimus, vera morborum, in partibus corporis variis haerentium, indoles et natura cognoſcitur et diiudicatur. Cum vero hi morbi, ex ſuis cauſſis oriundi, varios producant effectus, medici varias conditiones accidentales in iis obſeruant, ex quibus non nullas illorum differentias conſtituere ſolent; quae ideo, licet morbi naturam non declarent, ſed tantum vocabula, ad quasdam mutationes morborum explicandas a medicis aſſumta, proponant, prorſus negligendae non ſunt.

§. 82.

Diuidunt vero medici morbos compoſitos ratione cauſſae in idiopathicos et ſympathicos, porro in acquiſitos, contagioſos, haereditarios, connatos et habituales; ratione ſubiecti in vniuerſales et particulares; ratione temporis, praeter acutos et chronicos, in continentes, remittentes et intermittentes, prout nimirum diuerſa ſtadia ipſius morborum decurſus emetiuntur; ratione indolis in benignos et malignos, porro regulares ſiue anomalos, nec non recidiuos; ratione euentus tandem praecipue conſiderant mutationem eorum in ſanitatem, alios morbos et mortem. Hae differentiae, vt praecipuae, exemplis adductis, nunc paululum declarandae ſunt, omiſſis reliquis non adeo neceſſariis viſis.

§. 83.

Idiopathicus dicitur morbus, ſi cauſſa eiusdem in parte affecta ipſa haereat; ſympathicus vero, ſi cauſſa, in vicina vel alia remotiore parte haerens, morbum per conſenſum producat. Cephalalgia v. c. idiopathica eſt, ſi acris humor et cerebrum et membranas eius vehementer irritat; ſi vero eadem ex ſaburra, in primis viis haerente, oritur, ſymptomatica ſiue ſympathica dicitur. Diſtinctio morborum in fixos et vagos ſimili ferme ratione explicatur.

§. 84.

Huc forte reduci poſſunt morbi protopathici, qui primum generantur, et deuteropathici, qui ex alio praecedenti ortum trahunt: ſic v. c. colicus dolor ex ipſa ſaburra acrium humorum, in primis viis praeſentium, oritur; interdum tamen a renibus male affectis in colica nephritica per conſenſum excitatur, ita, vt a renibus, ſpaſtice vexatis, inteſtina quoque ſpaſmo afficiantur. Morbi ſuccedentes ex iisdem cauſſis, acceſſorii ex nouis obortis generantur.

§. 85.

Acquiſiti dicuntur morbi, qui per varias cauſſas occaſionales deprauationem fluidorum et ſolidorum in homine ſano producunt, v. c. haemoptoe, febres catarrhales: huc quoque referri poſſunt contagioſi, quorum cauſſa in aere vel contactu impuri corporis poſita eſt. Haereditarii vero ſunt, qui a labe, humorum potiſſimum, a parentibus ad infantes deducta, oriuntur, vt affectus arthritici et phthiſis. Connati vel cum his conueniunt, vt in infante, lue venerea affecto, vel malam conformationem in ſolidis iam

iam in vtero factam, et deprauationem fluidorum ibidem inductam, declarant, v. c. leporinum labium et icterus. Habituales tandem appellantur morbi, quorum vna caussa semper haeret in corpore, quae alia accedente morbum quemdam saepius producit, vt purpura scorbutica.

§. 86.

In magna morborum varietate quidam tamen omnibus hominibus communes sunt, alii ratione subiecti, in primis ratione aetatis et sexus, distinguuntur. Recens natorum, infantum et senum morbi obseruantur; alii sexum potiorem, alii sequiorem afficiunt, et ex his praecipue notabiles sunt morbi virginum, grauidarum et puerperarum. Quoniam vero et in vitae genere saepe dispositio ad morbos quaerenda est, contentioni studiorum dediti, artifices et opifices, ob varias res, quas tractant, ab aeris inde pendente mutatione, vel ex situ corporis noxio, variis morbis obnoxii sunt.

§. 87.

Ratione subiectorum, quae morbis afficiuntur, porro attendenda est distinctio in particulares et vniuersales *). Illi apto vocabulo sporadici dicuntur, quoniam hic illic inter incolas regionum disseminati sunt; hi vero, qui copiosius in populo quodam grassantur, pandemii dicuntur, et in endemios et epidemicos diuiduntur; endemiosque morbos eos nuncupamus, qui certis quibusdam regionibus et populis proprii sunt, vt plica polonica; epidemicos vero, qui vno eodemque tempore in aliqua hominum societate versantur, et ab aeris victusque vitiis potissimum pendent, vt febres variae.

 *) „Di-

*) ,,Diſtinctio haec quoque ad morbos ſingularum par-
„tium et vniuerſi corporis ſignificandos adhibetur,
„vt ophthalmia et febris.

§. 88.

Morbi, ratione temporis conſiderati, vtplurimum circa aequinoctia ex mutationibus aeris generantur, et vernales et auctumnales ſunt, quibus tamen ſaepe circa ſolſtitia euenientes, aeſtiui et hiberni, adduntur. Neque tamen haec diſtinctio vniuerſalis eſt, ſed ex diuerſis orbis terrarum climatibus, et ſitu regionum aliisque cauſſis diiudicari debet, nec raro a tempeſtatibus variantibus mutatur. Magis vero ad durationem vel morbi ipſius, vel partialium eius exacerbationum ſiue paroxyſmorum reſpicimus, et ſingulorum morborum progreſſum per definita ſtadia emetimur.

§. 89.

Ratione durationis, in genere conſideratae, morbi appellantur 1) acutiſſimi, qui vel in ipſo ingreſſu morbi necant, vel intra quartum diem terminantur, vt apoplexia, haemorrhagiae enormes et peſtis; 2) peracuti, qui ad ſeptimum ſaepius diem durant, vt febres variae malignae; 3) acuti, qui nono, decimo quarto vel viceſimo primo die demum iudicantur, vt febres variae continuae; 4) chronici tandem, qui definitum durationis tempus non habent, ſed per annos ſaepius homines excruciant, vt ſcabies, febres intermittentes.

§. 90.

Ratione paroxyſmorum ſiue exacerbationum febres potiſſimum, nec non alios morbos diſtinguimus 1) in continentes, qui ab initio vsque ad finem vel aequa-

aequali impetu ſaeuiunt, vel ſenſim aucti progrediuntur, et ſine notabili interuallo remiſſionis cuiusdam ſenſim quoque imminuti finiuntur; 2) in remittentes, qui vulgo continui dicuntur, vbi vis morbi quodam modo a violentia ſua remittit, ſed per interualla iterum exacerbatur; 3) in intermittentes, qui per interualla homines aggrediuntur, paulo poſt prorſus intermittunt, denuo ſed inuadunt aegrum. Hi omnes periodici dici poſſunt, licet hi ſuo quoque modo cum habitualibus §. 85. conueniant.

§. 91.

Singularem morbi decurſum per definita ſtadia ita deſcribimus, vt initium eius eſſe dicamus, vbi per phaenomena, etiamſi leuiora, ſe manifeſtat morbus; progreſſum vero appellemus, ſi vel nouae cauſſae accedunt, vel iam praeſentes agere pergunt, aut violentiores fiunt, ideoque ſymptomata augent; ſtatum vero ibi ponamus, vbi vis morbi, ad ſummum gradum producta, futurae mutationis indicia praebet; decrementum tandem, vbi ſymptomata multa ceſſant, alia vero imminuuntur, atque finem, cum corpus ſanitatis reſtitutae reddit indicia.

§. 92.

Ratione indolis morbi praecipue ex ſymptomatum differentia diiudicantur, non prorſus tamen neglectis cauſſis, ſolentque praecipue in benignos malignosque diſcerni. Illi paucioribus leuioribusque ſymptomatibus ſtipati ſunt; hi grauiora et magis exitioſa adiuncta habent. Quam ob rem etiam non numquam refractarii dicuntur, qui nimirum nec vitae nec medicamentorum viribus cedunt. Ratio-

ne decurſus etiam §. 91. interdum peculiarem indolem ſeruant, cum vel regulares ſint vel irregulares, ſiue anomali, vt ſymptomatum obortorum ſeries conſuetis mutationibus reſpondet, vel ab iis varie recedit. Ii tandem morbi, qui iam propulſi reuertuntur, recidiui nuncupantur *).

*) „Morbi in actiuos et paſſiuos vix diſtingui poſſunt, „cum non morbus ipſe, ſed vis vitae in illis agat, in „his ſupprimatur.

§. 93.

Tandem etiam morbi ratione euentus diiudicandi ſunt, quatenus eos vel ſanitas recuperata finit, vel in alium morbum aut mortem deſinunt. Dicuntur itaque ſalubres, qui motibus praeternaturalibus in corpore ad tempus excitatis deprauatam fluidarum et ſolidarum partium conſtitutionem, in primis dyſcraſiam humorum in corpore aegroto natam et auctam, mutant et eliminant. Sanabiles appellantur, qui, ſine acceſſu peioris mali, per vires vitae regimen diaetae conueniens et medicamenta accommodata corriguntur et debellantur; inſanabiles autem his auxiliis non cedunt. Letales tandem ſunt, qui vel ſubitaneam vel certam, etſi quodammodo protractam mortem adferunt.

PARS

PARS II.
AETIOLOGIA
SIVE
DOCTRINA DE CAVSSIS MORBORVM.

§. 94.

Vt omnes corporum mutationes a cauſſis ſuis definiuntur, ſic quoque morbi rationem ſuae praeſentiae ex cauſſis quibusdam repetunt, ex quibus variae agere incipiunt, ante quam morbi ipſi in ſenſus cadunt. Vna ex his cauſſis raro ſola percipitur, earum vero concurſus et varia applicatio demum morbum praeſentem faciunt. Recenſebimus itaque primo diſtinctiones cauſſarum, a medicis practicis aſſumtas, et paulo poſt eum ordinem ſequemur, ad quem ſcrutinium cauſſarum optime ſuſcipi poſſe exiſtimamus.

* * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT I.
DE CAVSSIS MORBORVM IN GENERE.

§. 95.

Id, quod mutationum, in corpore ſano occurrentium, rationem in ſe continet, cauſſa ſanitatis dicitur; hinc in aegroto quoque corpore rationes mutationum morboſarum, hoc eſt, cauſſas disquirere conuenit. Qua in re ipſae, quae ſanitatem efficiunt, cauſ-

cauſſae accurate attendendae, et in iis mutatis rationes morborum quaerendae ſunt.

§. 96.

Semper vero cauſſa morbi eſt res quaedam phyſica, cum corpus noſtrum non niſi per aliquam rem corpoream mutari poſſit: quod ſi enim quis morbos, ab imaginatione oriundos, in contrariae ſententiae probationem adducere vellet, illorum tamen ratio a vehementi ſenſatione petenda, et ita ex actione quadam corporea declaranda foret, cum ea aut in ſolidas, aut in fluidas partes, aut in vtrasque vi ſua agat.

§. 97.

Omnes res naturales, quae nos ambiunt, et corpori vel applicantur, vel in illud ingeruntur, externae; mutationes autem, quae inde in corporis actionibus eueniunt, internae dicuntur cauſſae. Sic aer, victus cet. corpus noſtrum et in ſano ſtatu non ſolum reficiunt et conſeruant, ſed illud quoque ob deprauatam interdum indolem laedunt et deſtruunt. Actiones etiam vitae in motu, ſomno cet. ſi moderatae ſunt, ad conſeruationem corporis requiruntur, immoderatae demum in ſolidarum et fluidarum partium fabrica et mixtione laedunt.

§. 98.

In geneſi morborum ſeries et externarum et internarum cauſſarum varia eſt, vt proinde ex earum recenſione diſtinctionis ratio non commode peti queat. Cum vero aliae primum adſint, aliae poſtmodum naſcantur, morbus vero tunc vel nondum adſit, vel ex effectibus non appareat, eae remotae dicuntur: aliam autem proximam tum temporis conſtituunt,

ſtituunt, cum praecipuam aliquam mutationem inducunt, ex qua diſpoſitio, quae actiones laedit, effectibus ſe prodit, et rationem morbi vere praeſentem ſiſtit.

§. 99.

Cum occaſio morbi et diſpoſitio ad morbum in vlteriori examine probe diſtinguenda ſit, cauſſarum remotarum diſtinctio in occaſionales et praediſponentes vbique ferme in ſcholis medicorum recepta eſt. Diſtinctio in procatarcticas et proëgumenas nobis ideo diſplicet, quoniam vtrumque vocabulum ideam remotae cauſſae tantum exhibet: nec allegorica diſtinctio in potentias nocentes et ſeminia morboſa nobis probatur.

§. 100.

Occaſionales cauſſae ex neglectu regularum diaeteticarum potiſſimum deriuantur, variae enim particulae, per aerem, alimenta et medicamenta corpori applicatae et ingeſtae, in humoribus non recte ſubiguntur, ideoque ad minimas fibras non bene applicantur, ex quibus cauſſis etiam motus corporis interni, varia ratione moderandi, non, vt decet, peraguntur. Praedisponentes igitur ex iisdem ſenſim generantur, dum et ſolidis et fluidis partibus labes aliqua adhaeret, ſubſiſtit et iam initia morborum continet. Sic victus glutinoſus humorum nimiam tenacitatem inducit. Ille eſt cauſſa occaſionalis, haec praediſponens.

§. 101.

Occaſionalibus morborum cauſſis ſemper obnoxii ſumus, ita, vt aliquam quidem vel in ſanis homi-

nibus dispoſitionem ad morbum efficere queant; ſi vero vires vitae, quae principes ſanitatis cauſſae ſunt, in corpore adhuc vigent, dispoſitio ad morbos inducta ſaepius ſenſim ſenſimque per alias et contrarias cauſſas corrigitur, ita, vt ſanitas diu conſeruetur, licet cauſſae quaedam morborum praeſentes et actiuae ſint. Sic victus glutinoſus non ſtatim tenacitatem inducit, quoniam alimenta ſimul aſſumta, ſale et aromatibus condita, et potulenta aquoſa et fermentata glutinoſum quodam modo ſoluunt et immutant.

§. 102.

Quando vero cauſſa praedisponens iam magis fixa haeret, neque ab actionibus vitae facile ſuperari poteſt, tunc occaſionales, quae olim praedisponentem cauſſam inducebant, hanc iam exiſtentem ita excitant, vt proxima morbi cauſſa, ſiue ea ſolidorum et fluidorum mutatio, ex qua actiones laeſae immediate pendent, producatur. Humorum tenacitas v. c. a viſcido victu, immodice ingurgitato, ita augetur, vt lentor humorum circulationem ſanguinis turbet, et febrem intermittentem inferat: eſt itaque lentor nimius cauſſa proxima febrilis morbi.

§. 103.

Ex hac cauſſarum recenſione geneſis morborum optime explicari poſſe, nec opus eſſe videtur, cauſſas ſigillatim enarrare, cum occaſionales in diaetetica, vt parte quarta phyſiologiae, praedisponentes vero, et in temperamentorum explicatione, parte tertia capite tertio phyſiologiae, et in morborum generali et eſſentiali differentia, parte prima capite ſecundo pathologiae, cauſſae vero proximae, quippe

quae

quae ſimile aliquid, aut idem cum ipſis morbis ſunt, in hac ipſa morborum generali disquiſitione cognoſci et erui poſſint; ſed multae ſunt eaeque graues rationes, quae hoc ſpecialius cauſſarum ſcrutinium reddant neceſſarium.

§. 104.

Cauſſae et effectus in mutationibus corporum ita ſe excipiunt. vt effectus primi nouas ſemper cauſſas conſtituant; hinc non incongruum erit, ſeriem cauſſarum et effectuum, ſe inuicem excipientium, illuſtrare, et ita modum geneſeos morborum compoſitorum explicandae demonſtrare; cum in natura morborum declaranda nihil adeo neceſſarium inueniatur, quam haec cauſſarum inueſtigatio. Hinc, licet multa alibi iam dicta in hac tractatione denuo occurrant, alio tamen ordine proponuntur, et varia ſcitu digna hinc inde inferuntur.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT II.

DE CAVSSIS OCCASIONALIBVS.

§. 105.

Eorum quidem haud eſt inepta methodus, qui cauſſas has ad normam ſex rerum non naturalium proponere ſolent; quoniam vero nos effectus earum generales, praecipue ſanitati conuenientes, paſſim tamen et nociuos, in diaetetica ſiue quarta phyſiologiae parte iam indicauimus, taediosa repetitione moleſti eſſe nolumus, quin potius omnes has cauſſas occaſionales contrahere, et ideas quasdam generales laeſionum, inde oriundarum, ex iis eruere

eruere ſtudebimus, quo cauſſarum et effectuum nexus melius perſpiciatur.

§. 106.

Omnes res, quae corpori applicantur, vel in illud ingeruntur, nec non mutationes corporis, in variis eius actionibus obſeruatae, in his cauſſis occaſionalibus conſiderari merentur. Priores vero proponi commodius vix poterunt, quam ſi caloris et frigoris effectus declaremus, et ratione alimentorum et potulentorum, in genere conſideratorum, quantitatem eorum in nimia repletione et inedia, qualitatem autem, quoad aquoſam, viſcidam, oleoſam, rancidam, acidam, muriaticam, aromaticam, ſpirituoſamque indolem attendamus; poſt ea heterogenea ſingularia, in aere, alimentis, medicamentis et venenis occurrentia, indicemus, tandem et actionem mechanicam corporum ſubiungamus.

§. 107.

Mutationes corporis, quae in variis eius actionibus eueniunt, et morbis occaſionem praebent, in motu aucto et quiete nimia, ſomno et vigiliis, modum excedentibus, ſe et excretionibus humorum retinendorum largioribus, et euacuationibus humorum excernendorum cohibitis, tandemque in animi affectuum concitatione poſitae, et ad hanc normam a nobis vlterius declarandae ſunt *).

*) „Etſi vero in tanta rerum varietate omnes morbo„rum cauſſas aſſequi nequimus, normam tamen exhi„bemus, ad quam et aliae a nobis omiſſae indagari et „explicari poſſunt.

§. 108.

Calor nimius, vel ſolis radiis in atmoſphaera, vel artificiali igne in conclauibus, vel ſtragulorum atque veſti-

veſtimentorum copia et naturali conditione excitatus, corpora debilitat. Cum enim, perſpiratione et ſudore nimis intenſo, ſubtiliſſima humida non tantum ex ſuperficie corporis, ſed ex ipſo ſanguine et reliquis humoribus, ac ex ipſo adeo fluido nerueo elicita diſſipentur, ſolida vero laxentur, elongentur et ob ſiccitatem tandem ad motum rigidiora reddantur, mobilitas fluidorum, per corporis vaſa ducendorum, imminuitur et corporis vigor perit. Haec incommoda quies in aere temperato et potus aquoſus breui tollit.

§. 109.

Si vero corpus diutius et iterato hos primos caloris effectus experitur, mixtio ſanguinis et humorum inſigniter deprauatur; particulae enim terreſtres oleoſis et ſalinis intimius iunguntur, et in maſſas ferme irreſolubiles abeunt, cum, aquoſis et reliquis volatilibus ex mixtione diſſipatis, fluida potu hauſta ipſam mixtionem non commode ingredi valeant. Solida enim, quae eam ſuo modo debent iuuare, exſucca, quaſi rigida et immobilia quoque redduntur, cum ex ſanguine nimis condenſato nec vaſa minima nutritias particulas recipere, nec nerui fluido, ad vigorem corporis inſtaurandum apto, repleri poſſint.

§. 110.

Concitati vero per continuatum calorem motus ſanguinem et humores, eo modo in ſua mixtione laeſos, circumducunt, et ſolida minima irritant, id quod eo magis euenit, cum fluidum tenue deficiat, quod acres et morboſe mixtas particulas per ſe et excretiones ſubducere queat; hinc aluus ſicca, vrina parca,

parca, valde ſaturata, perſpiratio tandem ſuppreſſa, morbum augent. Acre itaque irritans in minimis vaſis ſpaſmos et obſtructiones inducit, quibus tandem febres, continuae, acutae et inflammatoriae excitantur.

§. 111.

Nec frigoris effectus iam deſcriptis adeo diſſimiles ſunt; nam ſubtiliſſimae quoque particulae diſſipantur, et ſanguis et reliqui inde deducti humores ſpiſſi redduntur; fibrae vero ſolidae, quae ſimul ſtringuntur, in condenſando ſanguine cooperantur. Pulmonalis autem perſpiratio prae illa, quae in ſuperficie corporis fit, intenditur; hinc ſpiſſitudo ſanguinis et humorum ibi augetur, et infarctus pituitoſi, in pulmonibus et cauitate narium potiſſimum, inducuntur. Quae incommoda cuncta in aere temperato facile diſſipantur, in primis ſi potus moderate calidus ſumatur.

§. 112.

Si frigus creſcit vel diuturnum eſt, humores ſpiſſi et condenſati tandem reſiſtunt cordi, et febriles motus excitant, qui tamen, modo ne acrimonia in humoribus abundet, vel mitiores ſunt, vel per interualla corpus inuadunt: ſi vero, aliis cauſſis ſimul praegreſſis, acrimonia humorum iam adeſt, et his ipſis motibus euoluitur, febres acutae eaeque inflammatoriae gignuntur, quae potiſſimum in viſceribus ſaeuiunt. Frigus ſummum, cum exercitatione corporis vehementi coniunctum, circulationem humorum per extrema vaſa ſaepe impedit, ideoque gangraena et ſphacelus oriuntur: ſin fluida ſpiſſa et frigore denſata in quieſcente corpore coguntur,

et

et motus continuati in cerebro quoque ſupprimuntur, vertigo, ſomnus, ſopor et tandem mors ſequuntur.

§. 113.

Ex dictis quoque intelligitur, vel certe ſimili ratione explicari poteſt, quid ſubitaneae mutationes ex frigore in calorem, et ex calore in frigus, praeſtent? quid humidum calori et frigori iunctum efficiat? quales mutationes aer grauis et leuis, praecipue in reſpirationis et perſpirationis negotio, producant? quales effectus morboſi in diuerſis climatibus et in vna eademque regione diuerſis anni temporibus oriantur?

§. 114.

Vnicum tantum exemplum humiditatis calori iunctae poſuiſſe ſufficiat. Relaxatio ſolidorum et perſpiratio ab initio ſuppreſſa inducitur; quo facto humores, calore agitati, vehementius circumducuntur. Oriuntur inde ſaepe iam in principio morbi ſudores et aliae excretiones colliquatiuae, quibus vires exhauriuntur, fluida diſſipantur. Quod ſi vero perſpiratio per nimiam circulationem et inde compreſſa minima vaſa vlterius cohibeatur, retentique in corpore humores calore agitati, attamen non diſſipandi, motum inteſtinum augeant, in propriam corruptionem et reſolutionem putridam abeunt. Ex his cauſſae et effectus febrium malignarum, inprimis putridarum, intelliguntur.

§. 115.

Alimenta et potulenta, ad conſeruationem corporis neceſſaria, et ob quantitatem et qualitatem depra-

prauatam vt cauſſas morborum conſideramus. Nimia enim alimentorum copia ventriculum replet et ita diſtendit, vt ruptura eius exemplis, quamquam rarioribus, comprobetur. Quod ſi vero vltra modum diſtendatur et cedat, motus eius periſtalticus infringitur, nec liquor gaſtricus ſatis affluit, vt cibi ingeſti ideo non ſubigi queant, qui crudi in eo iacent, et aegre ad duodenum progrediuntur. Reſpiratio aucta, ventriculum concutiens, ingeſta tamen promouet, et duodeni actio, bilis et pancreatici ſucci efficacia incitata, digeſtionis vitia in ventriculo inducta ſaepe corrigit, vt bonus tandem chylus praeparetur, et ad ſanguinem ducatur.

§. 116.

Ciborum, in ventriculo collectorum, non bene digeſtorum reliquiae, corruptionem, quae ſingulorum alimentorum indoli propria eſt, viſcidam, acidam et rancidam incipere et augere poſſunt, ideoque noua alimenta ingeſta, etſi bona, corrumpunt, nec liquorum digerentium affluxus, nec continuata canalis inteſtinorum actio bonae concoctioni praeſtandae ſufficit: quam ob rem crudus et acrimonia varia inquinatus chylus ad ſanguinem deuehitur. Sed hanc etiam corruptionem ſanguinis motus per pulmones et circulatio in reliquo corpore libera ſaepe corrigunt, ita vt, particulis noxiis per excretiones varias expulſis, humores lymphatici ad nutritionem minimorum ſolidorum bene dirigantur.

§. 117.

Etſi vero repletionis nimiae vitia ſaepius corriguntur, et homines intemperantius viuentes morbis interdum diu reſiſtunt, tamen, ſi per continuatas

has

has cauſſas et ventriculi et inteſtinorum robur deſtruitur, et humores, digeſtioni inſeruientes, ſaliua, bilis, cet. a conuenienti bonitate recedunt, nec bonus chylus reſorbetur, nec ſanguis rite mixtus exinde elaboratur. Vt itaque olim diuerſae indolis alimenta per validam digeſtionem in bonum ſuccum nutritium mutabantur, ita nunc quodlibet eorum propriam acrimoniam ſeruat, et inde cacochymiam humoribus infert, ex qua nutritio in minimis laeditur, vires languent, et diuerſi generis morbi oriuntur.

§. 118.

Ab inopia alimentorum et potulentorum, vel plenaria inedia, refectio celeris, a reſorptione chyli in primis viis praeſtanda, deficit; hinc vigor totius corporis perit, cum laſſitudinis et vehementis famis et ſitis ſenſus interea hominem excruciet. Si cibi defectus potu, haud adeo nutriente, reſarcitur, aliquod leuamen adfertur; ſi autem celeris repletio poſt longam inediam ventriculum contractum vrget atque ſubito diſtendit, nauſea et vomitus mouentur. Blanda nutritio inediam breuem ſine remanente noxa corrigit. Aegroti inediam diutius, quam ſani, et macilenti facilius, quam obeſi ferunt.

§. 119.

Si vero inedia diu toleratur, liquores in primis viis affluentes acres fiunt, ideoque eas vellicant et rodunt; hinc appetitus primo inſignis, poſtea nauſea et vomitus excitantur, vt, contractis ſaepius ventriculo et duodeno, acres et bilioſi humores per os reiiciantur. Ob defectum vero chyli noui in

ſanguine, humores, per ſe et excretiones expulſi, non reſtituuntur, hinc fluidis et ſolidis blandum nutriens ſubtrahitur, et vires vitae inſigniter debilitantur. Quoniam vero interea ſubtiliſſimae corporis partes prorſus diſſipantur, acres vero augentur, non tantum febres acutae cum ſumma extenuatione corporis excitantur, ſed fluidum nerueum, tandem male elaboratum, deliria, ſpaſmos et alios inordinatos motus producit, donec fame enecti miſere pereant aegri.

§. 120.

In indole aſſumtorum examinanda primo ſe offert nimia potus aquoſi, calidi et frigidi, ingurgitatio. Vti enim ſufficiens potus, praecipue aquoſus, diluendis humoribus noſtris egregie inſeruit, ſic nimia copia ventriculum relaxat, quod per calidam tamen aquam magis, quam per frigidam efficitur. Digeſtionis negotium, nec non elaboratio chyli et ſanguinis, ob nimium ingeſtum aquoſum, non, vt decet, perficitur, et mixtiones bonae humorum turbantur. Renes a nimia mole aquae ſecernendae debilitantur, hinc varia eorum vitia. Liquores, ex ſanguine ad ſecretiones optimorum humorum et nutritionem progredientes, non rite miſcentur et perficiuntur, nimisque fiunt tenues §. 38. hinc imbecilla, macilenta, etiam tabida euadunt corpora.

§. 121.

Viſcidum, in cibis farinaceis non fermentatis, *Phyſiol.* §. 725. 729. leguminibus §. 730. oleribus §. 736. nec non in quibusdam animalibus §. 744. 748. eorumque variis partibus §. 754. viſcido ſuc-

co

co ſcatentibus, prae reliquis haerere cognoſcitur. Hoc in ventriculo digeſtioni reſiſtit, et vix reſoluitur; ideo parietibus eius adhaeret, fibras relaxat, ſecretionem fluidi gaſtrici impedit, flatus generat et appetitum imminuit. Quousque bilis efficacia obſeruatur, reliquum inteſtinorum canalem vix laedit, ſed in tranſitu per duodenum corrigitur, tandem vero et inteſtina glutinoſo et pituitoſo humore obducit. Licet vero euacuatio per vomitoria et purgantia viſcidum collectum ſaepius expellat, debilitas tamen primarum viarum, ex his cauſſis inducta, glutinoſi, vlterius ex ipſis bonae notae cibis generandi, exhibet occaſionem.

§. 122.

Viſcidum, in primis viis collectum, chylum et ſanguinem lente inquinat, in glandulis meſenterii ſaepius haeret, et ita vaſa lactea obſtruendo atrophiae genus producit. Hoc in primis in infantibus obſeruatur, in adultis enim viſcidum auctum has viarum anguſtias ſaepius tranſit, in ſanguine a circulatione viuidiore ſemel iterumque reſoluitur, et vel per varia corporis colatoria organa euacuatur, vel in robuſtioribus interdum nutrimento bono accedit.

§. 123.

Si viſcidum ita collectum diu in ſanguine haeret, et vltra modum augetur, ad minima vaſa tandem protruditur, et lympham inquinat §. 39, ideoque infarctus et obſtructiones pituitoſas efficit, quae tamen, niſi nimia humorum acrimonia accedat, motibus febrilibus, per interualla concitatis, reſoluuntur. Ac tum quidem regimen diaetae aptum et conuenientia medicamenta fibrarum robur reſtitu-

 unt,

unt, viſcidique reliquiae ſubiguntur et expelluntur. Quoniam autem fibrae a viſcido adhaerente non raro nimis relaxantur, nec ideo ſucci nutritii ſatis euoluuntur, tanta ſaepius ſolidarum corporis partium laxitas et debilitas efficitur, vt motus febriles vel nulli, vel anomali tantum excitentur, ſed chronici potius morbi ex obſtructionibus lentis oriantur.

§. 124.

Omne viſcidum, ex victu tenaci et crudo in primis et ſecundis viis collectum, et in elaboratione humorum continuata non ſatis ſubactum, glutinoſum adſcititium appellari poteſt *), quod in principio acrimonias varias ſalinas, in primis acidam, obuoluit et tegit, quae, cum aliquando euoluuntur et fibras irritant, viſcera in primis abdominalia ad infarctus, et vniuerſum corpus ad tumores et pallores diſponunt. In aliis autem, in primis ſi atrabilaria diſpoſitio accedit §. 40. varia hypochondriacorum incommoda ſubnaſcuntur.

*) „Hoc a glutinoſo ſpontaneo omnino diſtinguendum „eſt, quod ex lymphaticis humoribus coagulatis ori„tur, et per varia corporis colatoria ſecedit, et pau„lo poſt in cauſſis praediſponentibus deſcribendum eſt.

§. 125.

Oleoſum, in oleis preſſis vegetabilium, butyro ex lacte confecto, et pinguibus animalium partibus conſpicuum, ſi nondum corruptum et acre redditum fuit, primas vias lubricat, et paulo poſt, ſi nimia eius copia fuerit ingeſta, debilitat. Magnam vim liquorum digerentium, in primis viis affluentium, oleoſum hoc exigit, quam tamen ſenſim infringit; ſi itaque viribus coctricibus non reſoluitur

recte ſubigi nequit, ſed partim propter mucaginoſum coniunctum in viſcidum iners tranſit, et glutinoſum parit, partim propter tenue oleoſum et inflammabile in rancidam et nidoroſam acrimoniam mutatur.

§. 126.

Huc accedit iurulentum in cibis, ex optimis animalium partibus eductum, quod ſuo modo optime nutrit, nimium tamen aſſumtum in debili ventriculo eosdem effectus, vt oleoſum, edit, tandemque ſimilem corruptionem inducit. Efficit hoc iurulentum inſigne humorum nutrientium augmentum, et ſaepe plethoram obeſam, interdum tamen ſanguineam §. 30. in corporibus gignit. Pinguedo autem animalis, copioſius in cellulas depoſita, ſi reſorbetur, molem et tenacitatem humorum mouendorum auget, ſanguinis praeparationem difficilem reddit, et tandem ad cacochymiam viſcidam et rancidam ducit.

§. 127.

Rancidum itaque et nidoroſum, ex oleoſis particulis ſalinis et terreis, calore attenuatis, quaſi exuſtis, et diluente aquoſo in mixtione orbatis, oritur §. 40. 45. Hoc, vel in alimentis iam praeſens, vel in corpore natum, ſitim et raucedinem producit, in ventriculo perſiſtens cibos bonae notae, in primis ex animali victu, corrumpit, ardorem ventriculi, ructus amaros et nidoroſos, nauſeas et vomitus excitat, bilem ipſam acrem reddit, inteſtina ſtimulat, tormina et borborygmos efficit, non raro autem deiectionibus bilioſis et acidorum vſu ad tempus corrigitur.

§. 128.

Sed hoc quoque rancidum tandem et ſaepius ſub inuolucro viſcidi in ſecundas vias ducitur, et cum admixtionem aquoſi magis impediat, quam admittat, acrimoniam rancidam et alias ſpecificas cacochymias §. 46. efficit, quae ſaepius, ad habitum cutaneum ductae, exanthemata variae indolis producunt. Haec vero acrimonia in ſanguine crebrius circumducto augetur, atram bilem generat, et minima ſolida irritat, ſecretiones blandas impedit, tenue diluens diſſipat, ſitim immanem et febres acutas exanthematicas, nec non alios inflammatorios morbos inducit.

§. 129.

Vegetabilia plurima acido ſcatent, illudque ſaepius, ſi etiam per varias praeparationes ad victum apta redduntur, retinent. Licet vero quotidie vegetabilibus veſcamur, inde tamen nulla noxa in corpus redundat, cum digeſtio valida et circulatio humorum acidum hoc, cum nutritiis ſuccis introductum, ſemper mutent, vt in ſano homine vel nulla, vel pauca eius veſtigia deprehendantur. Quod ſi etiam in ventriculo aliquo modo appareat, bilis tamen vis in mutando acido ſumma deprehenditur, ita, vt in duodeno iam ſubigatur. *Phyſiol.* §. 401.

§. 130.

Laxitas et debilitas primarum viarum et inertia humorum cauſſa ſunt, cur acidum non ſemper ſubigatur. Si igitur non ſubactum colligitur, in infantili potiſſimum corpore coagula chyli et ſtaſes in glandulis meſaraicis §. 122. efficit: ſi vero aliqua eius copia tandem ſub tegmine viſcidi in ſecundas

vias

vias vehitur, tunc actione valida circulatoria subigitur; sed et hac in iis, qui vitae sedentariae dediti sunt, deficiente, coagula lymphae, viscerum infarctus et lentae obstructiones oriuntur, quibus secretiones impediuntur, et praecipue humores, in primis viis secernendi, magis magisque inertes fiunt: hinc tabes a defectu succi nutritii optimi, hinc a ruptis vasis lymphaticis oedema et hydrops.

§. 131.

Sal commune nobis, tam vario victu vtentibus, digestionem faciliorem reddit, *Physiol.* §. 761. et resolutionem viscidi praestat; actione tamen valida primarum viarum, et circulatoria ac secretoria sanguinis et humorum elaboratione, mutatur et expellitur: his vero imbecillis redditis, accumulatur et solida stimulat, fluidaque dissipat. Hinc primo siccitas oris et faucium oritur, postea vero collectae et auctae salinae particulae rodunt et ad scorbutum muriaticum disponunt. Forte etiam ex hoc sale, magis subtili reddito et oleis iuncto, acrimonia intenditur, et inde tandem, si alcali volatile accedat, ammoniacalis acrimonia ortum trahit. §. 44.

§. 132.

Olea subtilissima plantarum salino terreas earumdem particulas mobiliores et magis actiuas reddunt. Talia aromatibus praecipue inhaerent, quae eodem modo, vt acria reliqua, primas vias stimulant et exsiccant, sitim producunt, et, cum pinguibus particulis coniuncta, rancidam acrimoniam fouent; ad secundas vero vias delata, aestum praeternaturalem, stimulum solidi, dissipationem fluidi efficiunt,

 vnde

vnde lympham acrem et rodentem reddunt, pessimosque morbos acutos et chronicos producunt.

§. 133.

Et spirituosi liquores, fermentatione producti, similes fere effectus habent, et altius quoque penetrare videntur: his enim sitis non exstinguitur, sed continuum liquidi assumendi desiderium excitatur. In primis vero illa fluida spirituosa, quae destillatione exaltata et subtilia reddita sunt, siccitatem et coagulum in fluidis, nimiumque stimulum in solidis primarum viarum efficiunt; ideo, calloso quasi ventriculo reddito, et fluidis dissipatis, appetitum imminuunt et digestionis officinam laedunt.

§. 134.

Minime vero hic subsistit liquorum fermentatione praeparatorum et spirituosorum effectus, nam ebullitioni sanguinis praecipue occasionem praebent, lympham inspissant et ad coagulum disponunt, eamque ideo nutritioni parum aptam reddunt; hinc macies oritur, et ab inertia motus, stasis lymphae, obstructiones glandularum, ruptura vasorum, effusio humorum serosorum et hydrops. Sed et subtilis illa spirituosa acrimonia neruos ipsos afficit, temulentiam et stuporem inducit, rigiditatem, contracturas, podagram, rheumatismos et dirissimos saepius neruorum morbos excitat.

§. 135.

Haec et plurima alia, quae in varietate alimentorum et potulentorum nostro corpori applicantur, in caussis morborum prae reliquis attendenda, ex diaeteticis doctrinis repetenda, et ex crebra obseruatio-

uatione annotanda ſunt; quoniam ea, quae genuino vſu noſtrum corpus conſeruant, nutriunt et reficiunt, peruerſo vſu magnas vitae moleſtias inducunt. Sed et aliae heterogeneae particulae, quae aeri inhaerent, et medicamentis et venenis admiscentur, inſidias ſanitati ſtruunt.

§. 136.

Aer enim, praeter ſupra memoratas humidi, calidi, ſicci et frigidi affectiones, §. 108. *ſqq.* particulas putridas, ex corporibus putredine reſolutis, ſuscipit, ideoque contagioſo halitu humores noſtros inquinat, mixtionem eorum cito atque prorſus ſoluit, et tandem ſolida deſtruit. Porro is quoque arſenicales, mercuriales, acidas minerales, praecipue ſulphureas, aliasque plures particulas recipit, quae non tantum pulmones male afficiunt, et reſpirationis ac ſanguificationis actiones laedunt, ſed mixtiones quoque humorum noſtrorum ingrediuntur atque peruertunt, ſolida mirum in modum mutant, et ita ſtupendos ſaepius et praeternaturales effectus oſtendunt, qui ex natura particularum, quatenus in chemicis declaratur, non ſatis explicari, ſed ex ſolis phaenomenis cognoſci, et in disquiſitione cauſſarum laedentium attendi poſſunt.

§. 137.

Aegrotis quidem medicina ſanitatem reddit, quoniam vero medicamentorum particulae, ſolidis et fluidis applicatae, eadem mutant, ſani, qui medicamentis vtuntur, omnino laeduntur, cum corpori mutationes vere morboſas inducant. Nimis amplam ſuſciperem tractationem, ſi omnes morborum cauſſas, medicamentis introductas, recenſere vel-

lem; purgantia et ſudorifera, praeter neceſſitatem adhibita, praeternaturales medicamentorum, in ſanis corporibus exhibitorum, effectus quotidianis exemplis comprobare poterunt, qui ex effectibus, in materia medica et therapia generali explicatis, ſuo modo inter cauſſas morborum referendi ſunt.

§. 138.

Vti omnia medicamenta, praepoſtere exhibita, corpus male afficiunt, ſic venena, ſtricte ſic dicta, in cauſſis morborum quoque recenſenda eſſent. De his tamen longius hic diſſerere minus aptum videtur, cum dubia plurium venenorum natura et indoles ex tractatione de viribus medicamentorum peti debeat, quam ob rem et praecipua in materia medica ſimul exponuntur: nos vero omnem hanc doctrinam in therapiam generalem coniecimus, vbi de venenorum efficacia infringenda agitur. Quantum ea igitur in hac noſtra de cauſſis morborum occaſionalium tractatione attendenda ſint, ex qualitatibus peruerſis alimentorum et potulentorum eorumque effectibus iam quodam modo patet.

§. 139.

Tandem quoque de actione mechanica corporum, in noſtrum corpus irruentium, dicendum eſt. Agunt haec pro ratione figurae et impetus, contundendo, ſcindendo, frangendo cet. et varias laeſiones continui pro differentia partium corporis efficiendo, §. 70. Hinc effuſiones humorum, ſtaſes, inflammationes, ſi humores boni ſunt, ſuppurationes, ſi deprauati, corruptiones gangraenoſae et ſphaceloſae inducuntur.

§. 140.

§. 140.

Inter mutationes, quae in corpore ipſo eueniunt, motus voluntarios, per muſculos et fabricam membrorum artificioſam perficiendos, ſiue exercitationem corporis primum attendimus. His nempe auctis digeſtio ciborum, blandioribus tantum motibus adiuuanda, turbatur; non ſolum enim alimenta cruda ex ventriculo et duodeno in inteſtina propelluntur, ſed ex his etiam crudus chylus ad vaſa lactea et ſanguinem vrgetur, *Phyſiol.* §. 831. Cum autem his ipſis motibus circulatio ſanguinis et humorum intendatur, ſubtiliſſimae particulae per varias ſecretiones, inprimis perſpirationem auctam et ſudores, diſſipantur. Hinc vniuerſa humorum maſſa denſior et immeabilis redditur, et obſtructionibus occaſionem praebet.

§. 141.

Crebra autem et iterata exercitatione fibrae omnes, in primis muſculares, obrigeſcunt, deſinuntque ad motum aptae eſſe. Non tantum enim contractionibus validis expelluntur humores tenues lymphatici, celluloſum contextum replentes, qui et ipſe condenſatur; ſed fibrae minimae contractae expulſione particularum minimarum nutrientium, non ſatis arcte applicatarum, infirmantur, nullis interea nouis particulis glutinis bene elaborati vel aduectis vel applicatis. Quare muſculi et reliquae partes, quae ad motum concurrunt, exſuccae, rigidae et immobiles fiunt. §. 52. 54.

§. 142.

Exercitationis nimiae effectus, hucusque deſcripti, lente quidem irrepunt, ſed, ſi motus violentio-

res

res diu et ſine remiſſione continuentur, celeriores et perniciosae oriuntur mutationes. Vehementi enim impetu ſaepe illico ſanguis eliditur, et haemorrhagiae variae mouentur. Quod ſi non euenerit, ſanguis motu denſatur, lympha calore cogitur, et inflammatoriae obſtructiones gignuntur. §. 74. Motu autem inteſtino ſanguinis interea excitato, ſalia et olea, nimis volatilia et acria facta, blandam mixtionem humorum turbant, quod eo magis fit, ſi e cacochymica diſpoſitione acrimoniae in corpore iam natae ſint. Hinc putrida humorum diſpoſitio ſuccedit, qua ſolidae partes ipſae deſtruuntur.

§. 143.

Et quies nimia digeſtionem impedit, quoniam humorum digerentium affluxus lentior et motus periſtalticus languidior inde pendent; id quod in vita ſedentaria compreſſo praecipue abdomine euenit: hinc non tantum parcior acceſſus humorum nutrientium, ſed variae quoque cacochymiae, in primis aquoſa et pituitoſa; et ex his cauſſis defectus nutritionis in minimis cito inducitur. Iis quidem, qui viſceribus ſatis valent ad digeſtionem, et largius nutriuntur, ab initio tantum obeſitas moleſta eſt, quae, cum eos ad quietem procliuiores reddat, tamen ſupra indicata incommoda lente inducit.

§. 144.

Series autem mutationum ea eſt, vt, motibus voluntariis languidius peractis, circulatio ſanguinis et inde pendens elaboratio humorum parum adiuuetur. Quod ſi enim ſatis boni ſint, tamen ſpiſſiores redduntur, et in cellulas laterales colliguntur, quae inde magis magisque diſtenduntur. Fibra vero,

vero, motu non exercitata, laxa fit et ad contractiones parum apta, nec ipſa bene nutritur, ex quibus cauſſis humores viſcidi redduntur §. 39, qui vel per ſe collecti, vel varia acrimonia imbuti, ſenſim in minora vaſa propelluntur, et variis morbis chronicis, in primis viſcerum obſtructionibus, occaſionem praebent.

§. 145.

Somnus in effectibus morboſis cum quiete conuenire videtur, ſi tamen profundior et diuturnior eſt, non tantum humores inſpiſſat, eosque ad repletionem magis, quam nutritionem aptos reddit, *Phyſiol.* §. 249. *ſqq.* ſed ſecretionem quoque et actionem fluidi neruei ita laedit, vt ſolidorum robur vitale multum infringatur, et torpor cum ſtupore in omnibus actionibus ſenſuum quoque deprehendatur; hinc ineptitudo ad omnes animi corporisque labores, hinc grauitas corporis, imbecillitas et continua in ſomnum procliuitas, quae, niſi motibus voluntariis ſuſceptis diſſipetur, cachexias, lentas febres et ipſam tandem mortem inducit.

§. 146.

Vigilia vero, diutius protracta, ſine reſpectu ad motum et quietem eorumque mutationes, humores acriores reddit, et vigorem ad actiones quaslibet ſuſcipiendas ſupprimit, quoniam vera humorum mixtio et inde pendens nutritio in vigiliis locum non habet. Qui validum humorum circulum ſimul experiuntur, citius ad acrimonias et febres acutas, inde oriundas, disponuntur; languido vero humorum circulo praediti, ſenſim ad morbos chronicos cum phantaſia laeſa ducuntur, quod in primis euenit, ſi conten-

contentiosa animi agitatio accesserit. Peculiaris enim inde fit cerebri et neruorum dispositio, per ea, quae de fluido nerueo hactenus nobis cognita sunt, vix satis explicanda.

§. 147.

Varii humores in corpore secernuntur, qui vel nullo modo, vel moderatius excernendi sunt: alii vero, in corpore secreti, non retinendi, sed ex eodem potius eliminandi sunt. Egimus quidem de his satis ample in lectionibus diaeteticis, *Physiol.* §. 846. *sqq.* et noxas varias, inde oriundas, explicauimus; pauca tamen de humoribus excernendis et retinendis hic quoque proponenda esse arbitramur, quo in scrutinio caussarum occasionalium effectus, inde prodeuntes, eo melius perspiciantur et diiudicentur.

§. 148.

Humores, alimentorum digestioni dicati, saliua, liquor gastricus, pancreaticus, et intestinalis, nec non bilis, si vsu saliuantium et purgantium medicamentorum nimia eorum copia expellitur, alimentorum concoctionem et assimilationem languidam et imperfectam reddunt. Cum itaque plurima, quae assumuntur, pro sua indole corrumpantur, cruditates in primis viis colliguntur, quibus noua alimenta adducta, licet bonae notae sint, deprauantur; cum porro optimae alimentorum partes, cum humoribus digerentibus mixtae, in chylo ad sanguinem transuehantur, haec prima nutritio *Physiol.* §. 245. tunc temporis locum non habet, inde continuatae actiones nutritionis male succedunt, et ita siccitas et macies oritur, vigorque corporis sensim perit.

§. 149.

Nimia excretio muci in cauitatibus narium, faucium, aſperae arteriae, nec non pulmonum et canalis alimentorum, per medicamenta valida reſoluentia, abſtergentia et euacuantia excitata, in omnibus his cauis ſiccitatem, immeabilitatem humorum, et ſtimulum ab acri efficit; hinc neruorum irritatio et diſſipatio ſubtiliſſimi fluidi euenit, macies inducitur, et acrimoniae variae generantur. Saepius tamen euacuatio talis in vno loco, v. c. in pulmonibus adaucta, viſcidam pituitam ad hunc locum ducit, parteſque ſolidas relaxando functiones corporis, ſumme neceſſarias, debiliores reddit.

§. 150.

Diſſipatio ſubtiliſſimi fluidi per perſpirationem, excretio nimia ſpermatis virilis et profluuium lactis ex mammis, optimos humores corpori ſubducit, hinc fluidiſſimae partes in ſyſtemate lymphatico deficiunt, et nutritio inde laeſa tabem et atrophiam affert, nata vero et aucta humorum acrimonia motus febriles, machinam deſtruentes, excitat. Vti vero ex his cauſſis, aut ex nimis intento literarum ſtudio, fluidi neruei ſecretio turbatur, ſic et ſubtiliſſimi huius fluidi defectus vigorem corporis, in motibus vitalibus et ſenſibus externis ac internis laedit; ſic v. c. vigorem oculorum a nimia venere debilitari conſtat.

§. 151.

Sanguinis euacuatio nimia, vel praeternaturalis in variis haemorrhagiis, vel artificialis, v. c. in venae ſectione, hic quoque attendenda eſt. Haec quidem in corporibus robuſtis et plethoricis diutius

ſaepe

ſaepe ſine detrimento inſigni admittitur, tandem tamen, quod ſolida debilia et laxa reddit, plethoram a debilitate infert §. 31, et ita bonam ſanguinis mixtionem turbat, cum cruor parti ſeroſae non aequabiliter iungatur, hinc ſecretionis et nutritionis negotium laeditur, et ſimili ratione vigor in motibus elaſticis et vitalibus deſtruitur, ex quibus cauſſis haud raro oedemata et hydrops oriuntur.

§. 152.

Non minus tamen diſpoſitiones morboſae inducuntur, ſi excernenda retinentur. Sic enim excretio cutanea cohibita, quam diu humores boni ſunt, obeſitatem efficit; ſi vero humores iam deprauati inueniuntur, hac excretione imminuta cacochymiae variae inducuntur et augentur. Vrinae excretio cohibita particulas alienas, mixtionem ſanguinis bonam laedentes, ex maſſa humorum euacuandas, relinquit, et in ipſis vrinae viis calculi et mala inde orta proficiſcuntur.

§. 153.

Humores mucoſi, §. 149. in variis partibus relicti, pituitam augent, ſolida relaxant, et infarctus, tumores glandularum gignunt. In primis potiſſimum viis latera canalis alimentorum viſcido, vel huc per alimenta adducto, vel in glandulis folliculoſis nato, obducuntur, ſecretiones humorum digerentium et reſorptio chyli impediuntur, hinc lentor excretionis aluinae oritur, faeces accumulantur, inteſtina nimis diſtenduntur, et ſpaſmi et flatus excitantur. Ex his praeterea tum reſpectu viſcidi collecti, tum ratione laxitatis inteſtinorum, innumera oriuntur incommoda.

§. 154.

§. 154.

Animi affectus tandem conſiderandi ſunt, qui ſyſtema neruoſum primario quidem afficiunt, et mire mutant, ſimul tamen motus ſyſtematis ſanguinei et lymphatici turbant. Alii ex his languores et imbecillitates inducunt, alii agitationes inſignes et ſpaſmos. Lenti fluida inſpiſſant, immobilia reddunt, nutritionem laedunt, motus vitales infringunt et ita ad triſtitiam disponunt; vehementes autem fluidorum motum intendunt, interdum haemorrhagiarum cauſſa ſunt, nonnunquam reſolutionem et attenuationem humorum et acrimonias inferunt, ſolidaque ipſa deſtruunt.

CAPVT III.

DE CAVSSIS PRAEDISPONENTIBVS.

§. 155.

Enumeratio cauſſarum occaſionalium, hactenus propoſita, in variis exemplis geneſin morborum declarauit. Obſeruantur in his illarum applicatio, mutatio in corpore inde nata, et tandem effectus, ad cauſſam proximam ducentes. Licet autem varia, ad cauſſas praediſponentes pertinentia, in antecedentibus inſperſa inueniantur, nihilo minus tamen denuo ſimilem viam ingrediamur; verum non a primis cauſſis, ſed a diſpoſitione morboſa, in corpore iam nata, geneſin morborum ſiue vlteriorem deprauationem ſolidorum et fluidorum recenſebimus, quo magis magisque ad cauſſas proximas indagandas accedamus.

§. 156.

Dispofitiones hominum ad morbos propinquos ratione humorum in plethora et cacochymia deprehendimus; etfi enim eas §. 26 *feqq.* inter morbos retulimus, in genefi tamen fua et primis initiis ad cauffas praedisponentes referendae et hic examinandae funt. Quoniam autem fimul ad folidas corporis partes refpiciendum eft, in temperamentorum differentiis, *Phyfiol.* §. 624 *fqq.* praecipuas ad morbos dispofitiones examinabimus, tandem nonnulla de calculorum et vermium genefi in corpore animali, et de obfcura imaginationis efficacia fubiungemus.

§. 157.

Plethora fanguinea §. 30, in corpore vegeto et fano ex abundantia nutrimenti et facili digeftione orta, corpus grauat; fi robur folidorum adhuc fubfiftit, fanguis denfior redditur, vafis tamen nimium diftentis, languidus fit humorum circulus, qui particularum mixtionem et vlteriorem elaborationem in fanguificatione, fecretione et nutritione non fatis adiuuat. Validi motus, in plethoricis his excitati, primo ingratum caloris fenfum, poftea aut eruptiones fanguinis aut ftafes et diathefes inflammatorias inducunt; fi vero vita quieta et fomnus largus fibras relaxat, et abundantia humorum ad fyftema ferofo lymphaticum deuoluitur, corpora ad obefitatem disponuntur.

§. 158.

Plethora obefa §. 30. itaque ex feceffu particularum nutrientium, optime elaboratarum, in cellulas laterales oritur, hinc primo quidem pinguedo et fucci lymphatici cum aliquo voluptatis fenfu augentur.

tur. Cum vero ſolida diſtenta et relaxata, ſuoque modo preſſa, fluida nec ſatis moueant, nec ſufficienter miſceant, ex vna parte viſcidi et lenteſcentes fiunt humores, ex altera acrimoniae variae naſcuntur. Humores ita diſpoſiti, valido motu febrili agitati, in vaſis maioribus circulationem validam, in minoribus ſtaſes efficiunt, hinc fluida cum ſolidis breui in corruptionem ruunt, in primis ſi acrimonia et ſaepe contagioſa ſimul mouetur; ſi vero cacochymia lente ſimul euoluitur, flaccidus corporis habitus, nutritionis defectus in ſolidis, variique morbi chronici producuntur.

§. 159.

In plethora vniuerſali imbecillium §. 31. quae ſpuria eſt, nec veram abundantiam humorum oſtendit, ſed moderatam tantum eorum copiam, quae ob laxitatem et debilitatem ſolidarum partium non ſatis ſubigi poteſt, violenti motus interdum ingratum caloris ſenſum et ſanguinis eruptiones producunt. Cum autem infirmatum ſolidorum robur aequalem circulationem humorum non ſuſtineat, ſtaſes ſaepe in viſceribus oriuntur; porro ſucci nutritii elaboratio et appoſitio laeditur, fluidique neruei ſecretio languidior imbecillitatem fouet, eamdemque ita auget, vt tandem febres lentae generentur *).

*) „Reliquae ſpecies plethorae ſpuriae §. 31. 32. ſigillatim recenſendae non ſunt, cum ex antecedentibus „et aliis cauſſis praedisponentibus intelligantur.

§. 160.

Cacochymia aquoſa ſiue ſeroſa §. 38. non aptum ſanguinem et lympham, ad nutritionem praeſtandam ſiſtit, et ſimul ſolida relaxat; quam ob rem

 in

in continuatis actionibus ſanguificatio et inde pendens humorum elaboratio accurate abſolui nequit, ſed ſeroſi humores per colatoria nimis cito transeunt, reliquis inde craſſioribus et minus mobilibus relictis, ex quibus cauſſis defectus nutritionis pendet. Saepius vero tenues hi et ſeroſi humores, in oleum animale non cogendi, in cellulas effunduntur, rupturas vaſorum lymphaticorum efficiunt, et ſerum in cauitates magnas effundunt. Potiſſimum vero effuſi humores verſus inferiora deſcendunt, oedemata pedum producunt, abdominis et thoracis cauitates replent, hinc aſthma, hydrops, aliaque chronica mala inducuntur.

§. 161.

Similes ſaepius effectus producit cacochymia pituitoſa §. 39. ſed praeter ea in primis viis aucta digeſtionem impedit, ventriculum et inteſtina relaxat, in ſanguine haerens, et ad viſcera varia ducta, infarctus obſtructionesque generat, lympham nutritioni incommodam et motus ſolidorum languidos reddit: hinc febres intermittentes, ſaepius pertinaces et anomalas, hydropem aliosque morbos chronicos oriri cognoſcimus. Haec in viſcido vel glutinoſo adſcititio, vt cauſſa morborum occaſionali conſiderato, ſupra explicauimus, §. 125. nunc de glutinoſo ſpontaneo quaedam addimus.

§. 162.

Nimirum, quando ex glutinoſo adſcititio, per robur ſolidorum infirmatum non ſubacto, vel ex viſcido naturali ſanguinis *Phyſiol.* §. 176. in continuata elaboratione lymphae non bene euoluto, acrimonia, inprimis acida ſubtiliſata accedente *), lympha nutri-

nutritia minimis solidis apponi nequit, in varia colatoria organa conuertitur, et sub specie ponderosae et pellucidae pituitae ex corpore excernitur. Hoc glutinosum spontaneum cum adscititio non confundendum est, quia ex caussis adductis in corpore sponte nascitur, et ita largius profluens ad magnam debilitatem et, nisi coerceatur, ad tabem et mortem ducit. Hoc non tantum sputatione, vomitu, et deiectionibus aluinis colliquatiuis, sed et sudoribus profusis et vrina diabetica se prodit.

*) „Eamdem dispositionem saepe a resoluentium inprimis mercurialium medicamentorum abusu oriri, experientia docet.

§. 163.

Cacochymia atrabilaria §. 40. non tantum defectum blandi gelatinosi et seroso lymphatici humoris indicat, sed et aquosum diluens, in mixtionem denuo deferendum, excludit. In sanguine itaque nata immeabilitatem, lentorem, summamque saepe acrimoniam inducit, hinc secretiones difficiles humoresque secretos acres reddit. Simili quoque modo in mixtione deprauatos humores ad systema lymphaticum propellit, et nutritionem laedit, hinc macies efficitur et obstructio viscerum potissimum abdominalium. Tandem vero singularis quaedam dispositio morbosa, quocunque tandem modo illa eueniat, ad neruos producitur, et morborum cum phantasia laesa caussa est, quorum explicatio, etsi a priori vix cognoscitur, ex effectibus tamen satis clare patet.

§. 164.

Cacochymia acida §. 42. in primis viis nata, et vlterius per sanguinem ad lympham deducta, ex

§. 130. et muriatica §. 43. ex §. 131. huc referri et ex ſuis effectibus diiudicari poſſunt. In principio quidem, quando particulae irritantes ſenſim colliguntur, morboſi effectus vix obſeruantur, poſtea vero, ſi auctae in ſanguine et reliquis humoribus exiſtunt, actiones inſigniter laedunt, et ſolida ipſa deſtruunt.

§. 165.

Cacochymia alcalina volatilis et ammoniacalis §. 44 ex iis, quae §. 142. de motu tradidimus, repeti poſſunt; haec enim acrimonia vix in ſanguinem introduci, ſed ibidem potius euolui videtur, et tam valide agit, vt reſolutionem fluidorum et deſtructionem ſolidorum pariat, et praecipue in morbis putridis cognoſcatur. Tandem et oleoſa rancida et bilioſa cacochymia §. 45. ex iis repetenda eſt, quae §. 125. 126. 127. de oleoſo rancido et nidoroſo diximus, et §. 132. de aromatica acrimonia ſubiunximus; in omnibus enim his acrimoniarum euolutionibus, ad ipſum vſque morboſum effectum, ſucceſſiua euolutio aſſumenda eſt.

§. 166.

Quo modo vero temperamenta varia ad morbos diſponant, ex iis, quae de eorum indole in ſemiotica phyſiologica §. 624 *ſqq.* dicta ſunt, et ex praecipuis ſolidorum et fluidorum mutationibus in noſologia §. 25 *ſqq.* conſideratis, abunde patet. Cum enim temperamenta ſolidorum et fluidorum diuerſam rationem in diuerſis hominibus exhibeant, morbi iam dici poſſe primo intuitu videntur: ſed proportio ſolidi et fluidi, cuilibet homini conueniens, morbi ideam limitatam reddit, ita, vt non niſi facilem diſpoſitio-

poſitionem ad varios morbos excitandos offerat, quam rem paucilſimis indicare placet.

§. 167.

Phlegmatici *Phyſiol.* §. 696. nimirum, cum relaxata habeant ſolida et fluida copioſa, ſimulque viſcida et immeabilia, partim ad ſeroſam, partim ad pituitoſam cacochymiam procliues ſunt. Robur elaſticum et vitale, quod ex vniuerſa talis corporis conſtitutione eſſe ſolet debile, vlterius infringitur, hinc catarrhoſae diſpoſitiones inducuntur, a quibus tamen raro validae febres excitantur, torpor potius et ſomnolentia adeſt, nec non congeſtiones et decubitus humorum ſeroſo-pituitoſorum. Etſi vero ſomno profundo refici videntur, continua tamen in eum procliuitas et exercitationis defectus phlegmaticos morbis chronicis pituitoſis obnoxios reddit.

§. 168.

Sanguinei *Phyſiol.* §. 637. copioſos quidem, ſed mobiles humores, in laxis ſolidis libere circumfluentes, habent. Validi motus non raro haemorrhagias nimias inducunt, temperati vero circulum ſanguinis liberum dirigunt. Cum itaque ex diaetae vitiis acrimonias facile colligant, eas vel apta exercitatione per ſecretiones blandas diſſipari, vel, ſi febres catarrhales et aliae continuae oriuntur, apto regimine breui coerceri, et per excretiones varias ſalubres iudicari conſtat. Acida acrimonia, quam non ſatis ſubigunt, facile laeduntur.

§. 169.

Cholerici *Phyſiol.* §. 638. mobiles humores in ſolidis ſtrictioribus celeriter et fortiter propellunt, et

denſiores reddunt, ſuſceptam acrimoniam euoluunt, et vehementius mouent, hinc febribus acutis continuis inflammatoriis ſaepius obnoxii ſunt, nec raro a valido motu haemorrhagias patiuntur. Bilem conſtituentes particulas in ſanguinis mixtione non tantum cogunt, ſed et copioſius ſecernunt, vt adeo, laeſis ſaepe impetuoſa eius excretione inteſtinis, turbataque digeſtione, cum ictero, tum febribus bilioſis leuioribus et grauioribus aditus fiat.

§. 170.

Melancholici *Phyſiol.* §. 639. quorum fluida denſa et tenacia ſunt, cacochymiam atrabilariam colligunt, quam cum, nimis aucto ſolidorum robore elaſtico, motu aequali non euoluant, eamdem ob cauſſam nec corrigunt nec expellunt, ſed decubitus acrium et ſpiſſorum humorum inprimis ad viſcera abdominalia fiunt. Vti vero omnes digeſtiones humorum languidae ſunt, ſic lympha inprimis nutritioni blandae minus conueniens elaboratur, et neruorum fluidum ad vitales motus ſuſtinendos minus aptum ſecernitur. Febribus anomalis ſaepius vexantur, quae refractariae ſunt, nec facilem coctionem et mutationem morboſae materiae admittunt, ideoque incompletis ſaepe criſibus iudicantur.

§. 171.

In variis corporis animalis cauis, praecipue in contextu cellulari, particulae quaedam ſunt terreſtres, ex humorum mixtione ſecedentes, quae muco viſcido tenacique conglutinantur. Ab initio igitur coagula mollia et caſeoſa apparent, paulo poſt, cum terreae particulae magis coagmentantur, cruſtae tophaceae conſpiciuntur, vel interdum laminis oſſium

ſimiles

ſimiles ſunt, inprimis ſi ad membranas tenſas v. c. pleurae et tunicarum arteriarum concreſcant. Simili ratione in bronchiis, ligamentis articulorum et glandulis, caſeoſa et tophacea materia haeret et varios tumores efficit.

§. 172.

Quando autem in cauis et canalibus, in quibus humores ſtagnant vel lente fluunt, particulae quaedam exſiccatae, v. c. grumulus ſanguinis concreti, interdum etiam corpus peregrinum extrinſecus intruſum haeret, tunc fluidum transfluens et terreſtres et mucoſas partes addit, et concretum calculoſum efficit, cui, quamdiu circumuolui poteſt, ſtrata varia ex laminis denſis ſucceſſiue ſuperinducuntur, vt calculus lamellatus fiat. Tales concretiones in tubo inteſtinali, naribus, ductibus ſaliualibus aliisque viis ſaepe inueniuntur.

§. 173.

Inprimis vero in bilis et vrinae viis huiusmodi corpuſcula forte concreta nucleum quaſi exhibent, cui a muco viſcido, in his humoribus haerente, cum terreis particulis iuncto, lamellae ſiue cruſtae inducuntur, vel irregulari ratione moleculae apponuntur, et ita calculi variae magnitudinis, figurae et denſitatis compinguntur, et ſubinde in inſignem ſaepius molem augentur. Hi liberam humorum excretionem impediunt, partes vicinas premunt, vellicant, interdum valde lacerant, hinc haemorrhagias inducunt, ſola obſtructione et mora icterum, nauſeam, vomitum, ſtillicidium vrinae et bilis, vel prorſus cohibitam excretionem aliaque vitae incommoda efficiunt.

§. 174.

Subſtantia terreſtris, in contextu cellulari denſo coacta, calcareae indolis eſt, et multi calculi, in viis vrinariis orti, ex ſimili materia conſtare videntur, et maxime friabiles ſunt; alii ſabuloſi et ſilicini quid admixtum habent, denſiores inde redditi; nonnulli tamen ita indureſcunt, vt vix diffringi, multo minus diſſolui queant. Hi omnes ponderoſiores ſunt, quam qui in viis bilis et aliis cauis deprehenduntur. Denſitas tamen calculorum non tantum a terrae varietate, ſed praecipue a muco plus minus tenaci, particulas et laminas coniungente, pendere videtur, quippe qui in oleo et ſale volatili particulas terreas copioſius admixtas habet.

§. 175.

Oua inſectorum varia ſaepius ratione vel ſuperficiei cutis, vel eiusdem ſubſtantiae, vel internis corporis cauis applicantur. Si his magnus caloris gradus accedit, deſtruuntur; ſi vero mediocri calore, immunditie et pituita fouentur, tunc creſcunt et multiplicantur. Hinc vellicando et irritando intolerabiles pruritus, continuum ſcalpendi deſiderium, et lentas exulcerationes inducunt, ſomnum turbant, vel optimos quoque corporis humores ſugendo, defectum ſucci nutritii, et ita maciem variasque cacochymias inferunt.

§. 176.

In primis vero in canali alimentorum vermium euolutio ſaepius obſeruatur. Ouula enim cum variis alimentis, in primis vegetabilibus crudis, ingeſta in muco inteſtinali haerent, nec ſemper valida digeſtione deſtruuntur, nec motu periſtaltico propelluntur; ſic lumbrici, aſcarides et taeniae, interdum alia quoque animalcula, in inteſtinis haerentia, ſuc-

cum

cum alimentorum optimum depaſcunt, et corporis nutritioni detrahunt, praeterea vero irritando ſpasmos, dolores colicos, febres et inflammationes, immo, ſi vehementius ſaeuiunt, morbos conuulſiuos ac epilepticos excitant, ideoque varia ratione homines miſere excruciant.

§. 177.

Sunt tandem et aliae praeternaturales mutationes, quae ſenſim corpori inductae, accedentibus variis occaſionalibus cauſſis, ad morbos disponunt. Sic imaginationis maternae effectus in terrore a rebus quibusdam ingratis, in potulentorum et alimentorum quorundam auerſione et appetitu inſigniori, in deſiderio peruerſo rerum, ad nutritionem non aptarum, ſingulari modo ſanitatem et matris et foetus laedunt. In aliis quoque hominibus, ceteroqui ſanis, ab imaginatione laeſa, aut ab aliqua idea ingrata, pertinacius inhaerente, morbos naſci comperimus. Verae cauſſae in his ſaepius dubiae ſunt, effectus tamen potiſſimum in nauſea, vomitu, animi deliquio et ipſis conuulſiuis motibus ſe exſerunt.

§. 178.

Tandem et fabrica organorum et viſcerum corporis laeſa a natiuitate, a vitiis in partu, et in primis a negligentia educationis inducta, homines ad morbos disponit. Sic pueri, varia ratione gibboſi facti, aortae, tanquam principis canalis, ſitum peruerſum habent, et inde in actionibus circulationis laeduntur, et thorax, eo ipſo arctatus, et varie depreſſus ac eleuatus, non tantum pulmones comprimit, qui ideo pleurae adhaerent, et difficilius in reſpiratione extenduntur; ſed hoc quoque modo abdominalia viſcera comprimuntur et vario modo laeduntur.

CAPVT

CAPVT IV.

DE CAVSSA PROXIMA.

§. 179.

Ex caussarum ergo disquisitione patet, errores diaetae, a sanis in se hominibus commissos, solida et fluida corporis sensim mutare, et dispositiones ad morbos producere §. 105 *sqq.*; constat item, has dispositiones ad morbos, in corpore, quod sanum videtur, natas, eos sensim inducere §. 155 *sqq.* In ipsis itaque initiis morborum, quando aeger iam de variis vitae incommodis conqueritur, multo magis, quando haec increscunt, medicus, in caussas inquisiturus, ex iis praecipuam quaerit, quam proximam dicit, quo ideam accuratiorem geneseos morbi et symptomatum efformet.

§. 180.

Aegri quidem et nonnunquam medici in vltima, quae praecessit, caussa euidenti, v. c. terrore, ira, victus potusque nec non aeris vitiis, praecipuam et proximam morbi caussam positam esse affirmant; ea tamen tantum occasionalis est, quae morbum non intulisset, nisi praedisponentes caussae aliae in corpore iam exstitissent. Nec variae praedisponentes caussae, quae in solidis et fluidis corporis haerent, protinus ad caussam proximam ducunt, sed illa prae reliquis seligenda est, quae dispositionem ad actiones laedendas, hoc est, ad morbum §. 10. immediate induxit.

§. 181.

Est itaque caussa proxima ea in corpore sano per caussas remotiores effecta mutatio, quae in vlteriori euolu-

euolutione prae reliquis efficax eſt ad diſpoſitionem, ex qua actiones porro laeduntur, inducendam. Haec raro ſimplex eſt, ſaepius cum morbi idea commiſcetur, ſaepiſſime etiam in morbis complicatis ex multis compoſita deprehenditur: quam quidem differentiam in rei illuſtrationem euoluere et exemplis illuſtrare conabimur.

§. 182.

In ſano homine conſenſus plurium actionum et concurſus plurimarum cauſſarum, vitam et ſanitatem conſeruantium, deprehenditur: per varias itaque cauſſas, non recte applicatas, in functionibus corporis mutationes variae oriuntur, quae leuiores viſae vix attenduntur, vsque dum auctae et multiplicatae vera et nobis moleſta incommoda afferant. Morbus itaque ſimplex in praxi non occurrit §. 24, is vero, qui ex paucioribus cauſſis oritur, et paucis quoque ſymptomatibus ſtipatus eſt, nobis, reſpectu compoſitorum, ſimplicior dicitur, qui ideo etiam cauſſam proximam ſimplicem admittit.

§. 183.

Exemplum huius rei ſit vulnus §. 70. quod ſolutio vnitatis dicitur. Eſt autem inſtrumentum laedens non niſi cauſſa eius occaſionalis, quae, nulla cauſſae alicuius praediſponentis ratione habita, (niſi forte hanc in facili ſeparatione partium impetui cedentium quaerere velles), ipſam applicationem inſtrumenti ceu actum vulnerandi vt cauſſam proximam vulneris exhibet. Vnitate autem ſic ſoluta, varia ſymptomata protinus ſuccedunt, v. c. dolor, haemorrhagia.

§. 184.

§. 184.

Mutatio corporis per cauſſas, quae morbum praecedunt, inducta §. 181. et diſpoſitio ad actiones porro laedendas, hoc eſt, cauſſa proxima cum morbo adeo arcte connexa eſt, vt cauſſam proximam §. 102. ſolidorum et fluidorum mutationem, ex qua actiones laeſae immediate pendent, et §. 103. ſimile aliquid cum ipſo morbo dixerimus. Euictum enim eſt, cauſſa proxima deprehenſa morbum mox cognoſci, et haec forte vt definitionem et definitum inter ſe differre, idque eo magis patere, cum in praedisponente iam cauſſa morbus, licet latens, deprehendatur.

§. 185.

Hoc ex inflammationis disquiſitione planius apparebit. Homo cholericus §. 169. ex variis cauſſis occaſionalibus diſpoſitus, in temperamento hoc cauſſam praedisponentem inflammationis habet; hic, ſi aeſtu commouetur, ſub quo refrigerium admittit, nouis cauſſis occaſionalibus afficitur, hinc oritur ſtaſis fluidorum vehementer motorum in vaſis ſpaſtice conſtrictis, ideoque haec cauſſa proxima cum definitione ipſius morbi, hoc eſt, inflammatione §. 74. conuenit, quod ſi enim vel celeritatem ſanguinis auctam, vel maiorem vim cordis, ad contrahendum irritati, cauſſam proximam inflammationis diceres, vix diſtinctas a prioribus haberes ideas.

§. 186.

Longe difficilius eſt examen morborum magis compoſitorum ſiue complicatorum, tunc enim ipſa ſymptomata eſſentialia cum morbo et cauſſa proxima confluunt, et ideam morbi §. 11. ſcilicet complexum omnium mutationum, quae in aegro eueniunt,

unt, exhibent. In tali morbo primarias mutationes ſeligit et attendit medicus, easque vt diſtinctos morbos conſiderat, ita vt, ſymptomata ceu morbos particulares conſiderando, iis cauſſam proximam ex morbo principe complicato addat, et ita ex partibus ideam totius eruat.

§. 187.

Optimum exemplum praebet malum hypochondriacum, in quo ſaburra in primis viis collecta, magis rancida quam pituitoſa, acrimonia humorum atrabilaria, immobilitas fluidorum et infarctus viſcerum, ſpaſtica ſolidorum conſtrictio, imbecillitas ſyſtematis neruoſi, et alia plura, quae morbum hunc complicatum faciunt, vt cauſſae morbi proximae et ſymptomata eſſentialia conſiderari debent, quae, etſi ſingulae ſeparatim conſiderari poſſunt, tamen omnia in morbo hoc complicato coniuncta ſunt.

§. 188.

Ita namque plurima ſymptomata vt morbos particulares conſideramus, et, cum ad vniuerſalem quamdam cauſſam proximam peruenire haud queamus, ſymptoma, quod maxime vrget, primum, deinde ſenſim reliqua ſupprimere et curare, et tandem id, quod reſtat, vltimo loco cognoſcere et compeſcere ſtudemus. In exemplo quidem propoſito ſaburram humorum in canali alimentorum primum, poſtea acrimoniam et immeabilitatem, deinde ſpaſticam ſolidorum conſtrictionem et imbecillitatem ſyſtematis neruoſi, et ita ſymptomata varia vt complicatas cauſſas proximas tollimus, et his ſublatis morbum compoſitum curamus.

§. 189.

§. 189.

Cum igitur cauſſa proxima et morbus, quem ea producit, intermedias mutationes hominis aegrotantis inter cauſſas ſcilicet et effectus morbi ſiſtat, in earum disquiſitione duplici via ducimur, et analytica, et ſynthetica. Symptomata enim, quae ab aegro ipſo vel eius amicis recenſentur, vel a medicis obſeruantur, nos ad diſpoſitionem morboſam ducunt, quae ex mutatione cauſſali, quam praecipuam cognouimus, oritur: alia tamen ratione in vitam ante actam recurrens medicus, cauſſas praegreſſas disquirit, et per easdem cauſſam proximam et morbum ipſum cognoſcit. §. 12. Ad hoc itaque omnium mutationum, quae in aegro eueniunt, velut centrum accuratius inueniendum, et in tanta idearum copia a ceteris diſtinguendum medicus, artem ſcientia perficiens, ſumma cum cura attendat.

PARS III.

SYMPTOMATOLOGIA SIVE CONSIDERATIO EFFECTVVM MORBOSORVM.

§. 190.

Caussarum et effectuum in morbis nexum in loco de caussa proxima §. 179 *sqq.* summatim iam proposuimus. Quando vero mutatio corporis, per caussas laedentes facta, dispositionem ad actiones corporis animalis porro laedendas induxit, hae vel debilitantur, vel intenduntur, vel abolentur. Atque haec tractat symptomatologia, cuius rationem breuiter in vniuersum explicare placet, vt postea praecipuas actiones laesas cum aliquo ad caussas regressu examinare queamus.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT I.

DE SYMPTOMATIBVS IN GENERE.

§. 191.

Corpori aegroto multae et continuae accidunt mutationes, quarum aliae a labe principe, hoc est, caussa proxima et morbo, vel immediate vel successiue pendent, aliae a viribus vitae in aegro corpore vt reliquiis sanitatis deriuantur, aliae tandem accidenta-

dentales sunt, et a nouo morbo vel alia caussa producuntur. Possent haec generali nomine accidentium siue symptomatum morbi insigniri, sed cum symptomata tantum actiones laesas dicamus, mutationes a morbo distinctas primum considerabimus, postea ad symptomata stricte sic dicta progrediemur.

§. 192.

Aeger non tantum viuit, sed aliquas quoque actiones sani hominis edere potest, ac ne in vniuersalibus quidem morbis, v. c. febribus et inflammationibus, vigor vitae seu vis vitalis penitus suppressa est. Officium itaque medici aegros diiudicantis exigit, vt internas has corporis vires bene attendat, si quando mutationes ad materiam morbi subigendam efficiant, inprimis cum non semper sanitati conuenientes, sed saepe nimis intensae, saepe etiam latentes sint. Forte haec symptomata vitae vel actiua dici possent.

§. 193.

Morbo ex caussis suis nato, euoluto, progresso, interdum nouae et a prioribus prorsus distinctae caussae vel morbum praesentem exasperant, vel alium cum priori aequali passu progredientem excitant, quae caussae accessoriae, vel morbi accessorii dicuntur, et forte epigenomena appellari possent, nisi ambigua vocis significatio in veterum libris inveniretur *).

*) „Quamquam, docente FOESIO in oeconomia HIPPOCRATIS, epigenomena morbi dicta sunt, quae „priori manente affectione superueniunt, et veluti au„ctarium succedunt, tamen et ea, quae morbum neces„sario comitantur, interdum eo nomine insigniuntur.

§. 194

§. 194.

Symptomata itaque ſtricte ſic dicta ſunt actiones laeſae, ex praeternaturali diſpoſitione partium corporis vel ſolidarum vel fluidarum vel vtrarumque ſimul oriundae. Sunt ergo, vi vocis accidentia ſiue effectus, a cauſſa dependentes, et vti ſaepe incurii de ſanitate conſeruanda homines cauſſas, morbum corpori inferentes, non attendunt, ſic tum maxime de morbo conqueruntur, quando actiones, quas olim praeſtiterunt, non amplius, vel ſaltem cum aliquo incommodo perficiunt.

§. 195.

Aegroti igitur, qui medici auxilium quaerunt, raro ad cauſſas regrediuntur, ſed ſymptomata tantum ipſi indicant, et ab eo petunt, vt ea tollere et liberum actionum exercitium reſtituere velit. Male vero agit medicus, ſi effectum morboſum ſolum attendit, nec in cauſſam proximam, nec in remotas alias inquirit. Cum enim vnius effectus plures eſſe poſſint cauſſae, cum porro non, niſi cauſſa ſublata, tollatur morbus, cum tandem, ſublato morbo, nulli eiusdem ſint effectus, omnium morborum geneſin in cauſſis, et effectus in ſymptomatibus disquirere medico rationali omnino conuenit.

§. 196.

Quoniam vero in accurata corporis aegroti conſideratione, non vna ſemper, ſed plures actiones laeſae, hoc eſt, ſymptomata attendi poſſunt, in earum disquiſitione ordinem obſeruet medicus, ita, vt effectus, a morbo ipſo, a cauſſa morbi, et ab alio effectu ſeu ſymptomate pendentes, ſedulo diſtinguat, et ita rite coordinatos effectus non tantum in

ſe melius cognoſcat, ſed etiam ad eorum cauſſas, eo accuratius perluſtrandas, reducatur.

§. 197.

Haec quidem conſideratio exemplis erit clarior. Ventriculus non digerit alimenta ingeſta, quoniam ſaburra cruditatum in eo haeret: ergo morbum et cauſſam proximam tenemus. Anorexia ſiue appetitus proſtratus eſt ſymptoma morbi; nauſea et ructus nidoroſi ſunt ſymptomata cauſſae; vomitus ſpontaneus eſt ſymptoma ſymptomatis. Bilis redundat ad ſanguinem, quoniam vaſa biliaria obſtructa ſunt: qui morbus eſt et cauſſa proxima. Icterus eſt ſymptoma morbi primarium, bilis redundantiam declarans, digeſtio, a bilis defectu laeſa, eſt ſymptoma cauſſae, flatus et borborygmi ſunt ſymptomata ſymptomatum.

§. 198.

Cum autem in aegroto plura ſimul accidere poſſint, medicus quoque ſymptomata ſeu accidentia, morbo, nunc disquirendo et primario viſo, propria, ab accidentibus, ab alia mutationum ſerie dependentibus, diſtinguat, quae acceſſoria §. 193. reſpectu morbi examinandi dicuntur. Ita enim anorexiae inflammatio oculorum ſuperuenit, quae vel eſt ſymptoma ſymptomatis, a vomitu violentiori et difficili, vel acceſſorium, ab alia prorſus cauſſa, v. c. ab illapſo corpuſculo irritante pendens. Sic obſtructioni vaſorum biliariorum pleuritis accedit, vel ſpuria, a ſpaſmis, per flatus inductis, quae eſt ſymptoma ſymptomatis, vel ſpuria, aut vera, ab alia cauſſa, v. c. refrigerio oriunda, qui eſt acceſſorius morbus.

§. 199.

§. 199.

Cum itaque inſignis actionum in corpore ſano ſit varietas, earumque valde complicatus nexus, nullum eſt dubium, quin varietates laeſionum plura adhuc conſideranda offerant phaenomena. Difficilis ideo redditur ſymptomatum disquiſitio et ordinata diſpoſitio, quae tamen, cum in morbis cognoſcendis ſumme neceſſaria ſit, negligenda non eſt. Nos, qui nec indiuidualem in definitis ſubiectis, nec eandem definitorum morborum geneſin recenſere poſſumus, ad ductum phyſiologiae generalis et ſpecialis, a nobis traditae, actiones laeſas ſiue ſymptomata generatim tantum expoſituri ſumus. Satius itaque duximus, eum ordinem eligere, quem in *Methodo doctrinae medicae vniuerſae*, §. 136 *ſqq.* ſummatim exhibuimus, et in actionibus vitalibus, animalibus, naturalibus et ſexus, exempla ſymptomatum praecipua declarare.

§. 200.

Nemo vero miretur, nos in recenſendis his ſymptomatibus nominibus morborum, v. c. anorexiae, lienteriae, apoplexiae cet. vti. Si quis enim perpendat, nos morbum diſpoſitionem praeternaturalem, qua actiones laeduntur, appellaſſe §. 10. et morborum differentias eſſentiales generales Part. I. Cap. II. propoſuiſſe, is facile perſpiciet, aſſumta vt plurimum morborum nomina, quoniam actiones laeſas indicant, ad ſymptomata referenda eſſe. Vti enim cauſſa proxima et morbus conueniunt, §. 103. 184. ſic morbus quoque et ſymptoma primarium vnam quaſi rem indicare videntur.

§. 201.

Non ſufficit vero, actiones laeſas tantum indicare et cum ſanis quodam modo conferre, ſed breuiter ad cauſſas recurrendum eſt, quo eadem ratione, vt in Parte ſecunda a cauſſis ad ſymptomata et morbos progreſſum fecimus, nunc etiam a ſymptomatibus ad cauſſas reſpiciamus. In accurato enim hoc examine officium medici, circa aegrotos verſantis, conſiſtit, ideoque et tirones ad has ſeries mutationum conſiderandas aſſuefaciendi ſunt.

CAPVT II.

DE ACTIONIBVS VITALIBVS LAESIS.

§. 202.

In conſideratione actionum vitalium laeſarum circulatio ſanguinis et reſpiratio potiſſimum attendendae ſunt. Actio quidem cerebri et neruorum, quae a fluido pendet, vt in omnibus functionibus corporis, ſic in his praecipue ſpectari debet, poteratque de eius laeſionibus etiam exponi; cum tamen hae ex primis cauſſis non repeti poſſint, nobis quoque ſufficiet, paſſim tantum in hac tractatione aliquos effectus adſpergere, praecipuos autem inter actiones animales recenſere.

§. 203.

Motus ſanguinis circulatorius per cor et vaſa coniuncta, arterioſa ac venoſa, aut acceleratur, aut langueſcit, aut irregulari modo fit, quam ob rem primum

primum febris, vt celerior ſanguinis motus, et lentor ſanguinis et humorum, poſtea vero defectus virium cordis in animi deliquio, tandem motus irregulares in palpitatione cordis, vt praecipua ſymptomata inquirenda ſunt.

§. 204.

Celeriorem ſanguinis motum per cor et vaſa coniuncta febrem diximus §. 72. quae quidem ex reſiſtentia vaſorum extremorum, cruorem praecipue vehentium, oritur. Eius reſiſtentiae cauſſa praedisponens vel lentor eſt vel acrimonia ſanguinis transprimendi, ex quibus ſpaſmus, vt cauſſa proxima febris, indeque vel difficilis, vel, vt in inflammatione, impeditus ſanguinis per vaſa minora tranſitus efficitur. Ipſa vero auctior et vehementior ſanguinis vis, quae has reſiſtentias ſuperare nititur, ideam febris in celeriori pulſu poſitam continet.

§. 205.

Ex hoc autem celeriori ſanguinis motu, ceu ſymptomate primario, quod ſaepe vt morbus ipſe conſideratur, alia producuntur ſymptomata. Difficilis nimirum ex corde ad pulmones tranſitus anxietatem praecordiorum, et vehementior ad caput impulſus cephalalgiam inducunt. Languor vniuerſalis ex impedimentis liberae circulationis per vniuerſum corpus declaratur, et cum inde quoque ſanguis difficulter ad colatoria ducatur, non tantum ſiccitas cutanea, ſed et oris et faucium, quae ſitim efficit, pendet; quae quidem cum aliis ſymptomatibus in ſpeciali de febribus doctrina vlterius explicantur.

§. 206.

Lentus ſanguinis motus a viſcido eius, praeter naturam aucto, inducitur; hic autem raro immeabilitatem in ipſo ſyſtemate ſanguinis producit, ſed ad morbos in lymphaticis vaſis, v. c. ad leucophlegmatiam et hydropem, disponit. In ipſa tamen maſſa ſanguinis viſcidae partes cohaerentes, grumoſum ſcilicet, ad coagulum pronum et polypoſum, in denſas fibras concreſcentem, ſanguinem faciunt: prior, in viuis facile ſolubilis, poſt mortem ſaepius adeſt, alter in vera concreta tenacia, membranacea et carnoſa variae figurae tranſit, et verum polypum, circulationem impedientem, gignit.

§. 207.

Languida humorum circulatio animi deliquia, plus minus diuturna, efficit. Oritur vero tum a defectu ſanguinis, vt in haemorrhagiis variis, cum magna inanitione vaſorum coniunctis; tum a defectu fluidi neruei, vel a qualibet cauſſa, influxum fluidi neruei in organa circulationis impediente, id quod in animi affectu grauiore, ſpaſmis hyſtericis cet. euenit, in primis in hominibus, in quibus ſumma ſolidorum debilitas obſeruatur.

§. 208.

Animi deliquia gradu diuerſa ſunt, ita, vt vel inſignis virium, quibus ſuſtineri debet homo, defectus, vel caloris naturalis et pulſus abſentia cum ſudore frigido, vel vera mortis imago in corpore, in quo actiones omnes deficere videntur, obſeruentur. Veteres itaque illa pro diuerſo gradu diſtinxerunt in λειποθυμίαν, λειποψυχίαν, συγκοπὴν et ἀσφυξίαν, licet veri limites in his accurate indicari nequeant.

§. 209.

§. 209.

Irregularis tandem fit circulatio in palpitatione cordis, pulſu intermittente et inaequali. Cum enim, vel ex inſigni iactura ſanguinis caua cordis et vaſorum nimium deplentur; vel cor viribus ſuis reſiſtentias proximas, in cruore ſpiſſo, polypoſo, aut acri, ipſi aut vicinis vaſis inhaerente, non ſuperare valet; vel machinae, in motu cordis concurrentes, v. c. valuulae, oſſeae et ad aequalem motum ineptae fiunt; vel ſpaſmus fibrarum cordis, aut inflammatio eius partisque vicinae motus regulares impediunt; vel arteriae continuatae, nimis rigidae immo induratae §. 171. motum eius non adiuuant, tunc cor crebro, vehementer ac inordinate contrahitur, et ideo palpitat, pulſusque in arteriis irregularis fit.

§. 210.

Ab omnibus his circuli ſanguinis laeſionibus varia oriuntur vitae incommoda, anxietas nimirum praecordiorum, reſpiratio anxia et difficilis, languor et debilitas totius corporis, ſomnus vel nullus, vel inquietus. Si etiam hae laeſiones diutius durant, reliquarum actionum corporis ſingularis plane deprauatio obſeruatur, cum ab hoc principe motu, inordinate peracto, et reliqui in corpore perficiendi langueant, nec rite ſuccedant, id quod in morbis abſconditis, varietate tamen ſymptomatum conſpicuis, ſaepius experiuntur medentes.

§. 211.

Nec impedimenta liberae circulationis per pulmones negligenda ſunt, quae per mutationes morboſas organorum, reſpirationi dicatorum, praecipue pulmonum, explicantur, et varia ſymptomata inducunt.

cunt. Sanguificatio *Physiol.* §. 185 *sqq.* in pulmonibus praecipue perficienda, a motu eorum vel nimis debili vel aucto turbatur. Debiles pulmones nec chylum nec lympham cum sanguine, ex corpore in cor reduce, satis miscent, ideoque sanguis hic venosus ad nouam per arterias efficiendam circulationem minus apte praeparatur; celeris autem et violenta sanguinis ex corde in pulmones propulsio optimam illius mixtionem turbat, acrimonias euoluit, et interdum diathesin inflammatoriam affert.

§. 212.

Quatenus vero respirationem, hoc est, aeris in pulmones ingressum, eiusque ex iis egressum, attendimus, hanc actionem laesam asthma siue difficultatem spirandi dicimus. Huius differentiae, pro varietate caussarum, insignes sunt, ita, vt humidum et siccum, pituitosum, sanguineum, scirrhosum, spasticum, flatulentum cet. in praxi clinica distinguatur et explicetur. Ipsa vero actionis laesae ratio, ex caussis nunc recensendis, patet, quae quidem, vel in ipso viscere pulmonis, vel in reliqua thoracis fabrica, vel in partibus vicinis positae sunt.

§. 213.

In pulmonibus ipsis pituita, sanguis, concreta tophacea, vel corpora peregrina, in cauo laryngis, tracheae, vel bronchiorum haerent; aut obstructio pituitosa, vel scirrhosa, in glandulis et cellulis pulmonalibus obseruatur; aut sanguis inflammatorius, spissus, in vasis aegre circumducitur; aut pulmones pleurae accrescunt. Porro quoque ad thoracem respiciendum est; interdum enim aer, aqua, sanguis, pus, aut corpus aliud peregrinum in caui-

tate

tate pectoris et pericardii inueniuntur; aut inflammatio pleurae, musculorum intercostalium et diaphragmatis, aut mala thoracis conformatio, distorsio et fractura vertebrarum, costarum et sterni, aut tumores glandularum colli, circa laryngem, oesophagum et tracheam sitarum, vt aequalis motus impedimenta, attendi merentur.

§. 214.

Non vero hae tantum in pectore obseruatae mutationes asthma inducunt, sed in vicino quoque abdomine crebriores eius caussae inquirendae sunt; hoc enim, a viscere scirrhoso, flatibus, aqua cet. distentum et tumidum factum, per musculorum abdominalium vim versus diaphragma nimium vrgetur et difficultatem spirandi facit. Vti vero varia, quae aequalem et liberum sanguinis transitum per cor impediunt §. 203 *sqq.* inter caussas asthmatis quoque referri merentur, sic praecipue spasmi, in vicinis aeque ac remotis partibus et vasis oriundi, dum facilem sanguinis per vasa remota transitum impediunt, cordi validiorem resistentiam et pulmonibus maiorem se dilatandi et ampliandi nisum inducunt, quod praecipue hypochondriacorum et hystericarum exemplo declaratur.

§. 215.

Gradus huius difficultatis spirandi a veteribus iam ita definiti sunt, vt *δύσπνοια* dicatur, si cum aliquali molestia et cita defatigatione, interdum cum dolore frequens sit respiratio: *ὀρθόπνοια* vero nuncupetur, si stertens et anhelosa, non nisi erecta ceruice et musculis, ad respirationem non proprie pertinentibus, violenter intensis, respiratio perficitur

Physiol.

Physiol. §. 441. Si tandem omnis respiratio vel sensim intercipitur, vel ex quacunque caussa subito tollitur, illud ἄπνοια, hoc autem catarrhus suffocatiuus appellatur.

§. 216.

Tussis et singultus sunt actiones laesae, quae respirationem quoque concernunt; cum vero haec incommoda, in sanis quoque frequentius sine insigni molestia occurrant *Physiol.* §. 445. 446. et in augmento suo non nisi ex caussis, superius recensitis §. 212 *sqq.* explicari possint, vlteriorem horum symptomatum explicationem omittimus. Raucedo tandem est laryngis et connexarum partium laesio, qua aer per siccas, vel pituita tenaci obsessas, vias aereas, cum molestia et voce in loquela et cantu suppressa, emittitur.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT III.

DE ACTIONIBVS ANIMALIBVS LAESIS.

§. 217.

Duo hic potissimum occurrunt, scilicet laesio sensus et motus, per caussas vniuersales, in circulo sanguinis et distributione fluidi neruei positas, vel laesio organorum particularium, sensus et motus perficientium. Hae vero laesiones vel simultaneae sunt, vel, vna licet actione deficiente, altera adhuc viget. Cum vero neruorum fabrica, distributio, nexus et actio difficulter cognoscantur *Physiol.* §. 315. et organorum sensoriorum musculorumque structura maxime

me compoſita inueniatur, laeſionum harum ratio vix ſemper accurate tradi poterit. Nos itaque vniuerſales ſenſus et motus laeſiones ex phaenomenis et cauſſis generalibus quodam modo explicabimus, particulares vero, quo et haec doctrina breuiter declaretur, paucis exemplis illuſtrabimus.

§. 218.

Si in homine ſubito, rarius ſucceſſiue, ſenſus externi et interni obnubilantur, et prorſus abolentur, motusque voluntarii prorſus ſupprimuntur, ita, vt ſtipitis inſtar iaceat, eum apoplexia tactum eſſe dicimus. Interea tamen vitam euidentem in vitalibus motibus deprehendimus, dum vt plurimum validius reſpirat, et pulſus cordis et arteriarum vehementior obſeruatur.

§. 219.

Si aegri poſt tales inſultus, vel viribus vitae iterum excitatis, vel apta medendi ratione adiuti, ad ſe redeunt, ſaepe tamen reſolutio neruorum, quam paralyſin dicunt, remanet; haec eſt ineptitudo muſculorum ad actiones perficiendas, quae potiſſimum a neruo pendet. Paralyſis vero non ſolum poſt apoplexiam praegreſſam remanet, ſed ſaepius quoque illam praecedit, et ex cauſſis ſuis ſola oritur. Interdum quidem poſt inſultus apoplecticos et ſenſuum externorum et internorum debilitas quaedam obſeruatur, de qua tamen alibi dicturi ſumus.

§. 220.

Diſtinguunt porro paralyſin pro ratione partium, quae afficiuntur; ſi enim omnes muſculi ſub capite ſiti reſoluuntur, paraplegia dicitur; ſi muſculi, in

vno latere ſiti, immobiles fiunt, hemiplegia appellatur; ſi tandem pars quaedam ſingularis, vt lingua vel brachium, actionem ſuam perficere nequit, paralyſis partialis nuncupatur.

§. 221.

Ad apoplexiam disponit et ſaepe eius initium eſt vertigo, quae eſt apparens rotatio omnium obiectorum, quae viſu percipiuntur, ita, vt trementes et vacillantes homines incedant. Tum vero non tantum in viſus organo agitatio, ſed et ſuſurrus aurium et moleſta ſenſatio corporis vniuerſi et capitis potiſſimum obſeruatur. Quam ob rem graues inſultus vertiginoſi apoplecticis ſimillimi videntur.

§. 222.

Spaſmus ſiue conuulſio eſt valida et violenta muſculoſae partis contractio, quae non tantum in muſculis ſiue maſſis carnoſis, quae artus aliasque corporis partes mouent, ſed et in omnibus membranis, quae fibras carneas intertextas habent, v. c. in muſculoſa inteſtinorum tunica, obſeruatur. Ipſa vero contractio vel continua, vel alterna eſt: ſpaſmus enim ſiue conuulſio ſtricte ſic dicta nuncupatur, ſi contractio per longius temporis interuallum durat, et non, niſi cauſſa proxima agere deſinente, remittit, parte ſpaſmo affecta prorſus rigida exiſtente; in leuiori autem inſultu, vbi, ſpaſmo in vno muſculo, vel fibra muſculari vix remittente, antagoniſta, aut fibra oppoſita eo corripitur, et motus alternatim fiunt, motus conuulſiui dicuntur.

§. 223.

Validiora ſpaſmorum genera, pro indole directionis, motus et inde pendentis actionis laeſae, ſequen-

quentia a veteribus assumuntur. Tetanus est rigiditas corporis totius, a simultanea et vniuersali musculorum, flexioni et extensioni membrorum inseruientium, contractione oriunda; partialem vero rigiditatem crampum, barbaro vocabulo, dicunt. Emprosthotonus appellatur, si omnes corporis partes antrorsum; opisthotonus, si omnes retrorsum flectuntur, et diu in eo situ retinentur. Sed mira in his est varietas, non satis definienda, ideoque ex generali idea spasmi tantum diiudicanda.

§. 224.

Epilepsia eodem modo, vt apoplexia, actionem sensuum tollit, et homines prosternit, ideoque morbus caducus dicitur: sed miri simul in corpore oriuntur conuulsiui motus et spasmi, ita, vt aliae partes rigidae retineantur, aliae alternatim conuellantur, donec, exacerbatione morbi finita, languor partium omnium, sensus et motus perficientium, ad tempus remaneat; hinc etiam in habituali epilepsia, extra paroxysmum quoque, saepius stupiditas in sensibus externis internisque et languor in motu musculorum obseruantur.

§. 225.

In summo senio, praecipue in iis, qui contentiosa corporis et animi actione per vitam agitati fuerunt, et motus animalis imbecillitas et sensuum hebetudo inducitur. Haec vltima *ἀναισθησία* siue sensuum defectus appellatur, vbi non tantum organa sensoria obiecta imperfecte et confuse percipiunt, sed sensuum praecipue internorum imbecillitas obseruatur, vt in memoria debili et iudicii acumine deleto cognoscimus. Quam quidem imbecillitatem,

senili

ſenili ſimilem, per cauſſas ſingulares, in aetate non adeo prouecta interdum accedere conſpicimus, v. c. per delirium febrile, maniam, melancholiam, abuſum veneris in iuniore aetate cet.

§. 226.

A ſenſibus internis laeſis ad ſomnum, ſimili modo laeſum, progredimur. Peruigilium enim illum ſtatum hominis denotat, in quo, corpore licet quieto, ſenſus externi internique vigent, et diſpoſitio ad motus muſculares adeſt, ſomnus vero nullus, quamuis eum maxime exoptent aegroti, eumdemque ad vires reſtaurandas exigant. Somnolentia e contrario eſt ille corporis ſtatus, vbi illud, etſi ad ſenſus et motus exercendos per cauſſas externas cogitur, eosdem tamen non facile exercet, ſed mox ſummam procliuitatem in ſomnum capiendum commonſtrat.

§. 227.

Mira eſt in his actionum laeſarum varietas, in qua definienda non ſatis conueniunt pathologiae doctores (vid. B. MOOR in pathologia cerebri Cap. VII. p. 188). Nos ſequentes indicamus differentias: coma vigil eſt procliuitas in ſomnum non diu durantem, ſed excitatione per cauſſas internas iterum diſſipatum; coma ſomnolentum e contrario eſt ſomnus poſt excitationem per cauſſas externas iterum iterumque inductus, nulloque modo diſſipandus. Carus et lethargus continuum ſomnum indicant, ita tamen, vt alii carum ſine febre, et lethargum cum febre aſſumant, alii contrarium ſtatuant. Haec vero ſymptomata cum adeo varient, optime ad apoplexiae calidae et frigidae genera reduci poſſunt.

§. 228.

§. 228.

Omnes hae mutationes morbosae, seu actiones laesae, ideo in animalibus actionibus crebrius occurrunt, quoniam in statu naturali quoque in his actionibus interruptus semper motus, et ex instanti mox viuidior, mox lentior redditus, deprehenditur, vnde partiales et vniuersales eius perturbationes, si caussas remotas respicimus, facilius hic eueniunt, quam in reliquis actionum vitalium et naturalium organis, vbi semper aequalis est fluidi neruei motus, qui, si etiam mutatur, per gradus quasi intenditur et imminuitur.

§. 229.

Caussarum scrutinium, in his actionibus laesis definiendis, difficile est, cum in cerebro et neruis et fluido, hic secreto et moto, posita sit actionum laesarum ratio. Motus vero fluidi neruei in statu sano aegre intelligitur et diiudicatur, ideoque ille in morboso quoque statu, vel auctus, vel imminutus, vel irregularis redditus, difficulter disquiritur et cognoscitur. Si tamen vel cerebrum ipsum eiusque laesiones, vel motum circulatorium sanguinis et humorum laesum, vel ipsam denique neruorum, vel fluidi, in ipsis moti, indolem curatius attendimus, non nullas caussas apte perspici, et alias inde deduci posse existimamus.

§. 230.

Ratione cerebri caluaria minus apte conformata, fracta, depressa, vel exostosibus immutata, vel corpora peregrina, per vulnera in caluam introducta, sensiles cerebri membranas ipsamque eius substantiam irritant et destruunt. Porro quoque hu-

mores ſanguinei, vel ſeroſi, inter membranas, cerebrum inuoluentes, vel in cauitates eius effuſi, ſtagnantes et corrupti, teneram partium fabricam laedunt. Ipſa tandem cerebri ſubſtantia, inflammatione, ſuppuratione, gangraena, ſphacelo et ſcirrho corrupta, aequabilem diſtributionem ſanguinis in cerebro et inde fluidi neruei ſecretionem et deriuationem mire perturbant.

§. 231.

Si circulum ſanguinis et humorum in genere conſideramus, plethora et motus ſanguinis inteſtinus et progreſſiuus, vehementior redditus, capiti potiſſimum moleſtus, mixtio ſanguinis et humorum morboſa, pituitoſa, atrabilaria, ſecretionem, in cerebro perficiendam, ſuo modo laedunt. Similis diſpoſitio per varia medicamenta, in primis narcotica et venenata, inducitur, vt opii et cicutae exemplo diſcimus. Languor motus circulatorii, a rigiditate et laxitate fibrarum oriundus, quem in ſenibus et obeſis conſpicimus, ſimili modo actiones cerebri et neruorum languidiores reddit.

§. 232.

In neruis vero eo in loco, vbi ex medulla oblongata et ſpinali viciniſque partibus educuntur, ſtaſes ſanguinis, vel ſeri, vel cuiuslibet materiae morboſae peregrinae corruptae in celluloſa tela, neruos cingente, obſeruantur, quae eodem modo, vt alii tumores exorti, fibras medullares comprimunt, et, quemcunque aſſumamus, fluidi neruei motum intercipiunt. In neruis quoque, per corpus diſtributis, ſimilis collectio inter telam celluloſam, eos inueſtientem, vel alia cauſſa comprimens, aſſumenda

idem

idem efficit. Nerui principes, vt par vagum et intercoſtale, tenſi, et obſtructione viſcerum, vel repletione ventriculi et inteſtinorum, ſpaſtice affecti, ſymptomata quoque morboſa, per conſenſum aliorum neruorum oriunda, inferunt.

§. 233.

An fluidum nerueum in ſua indole et mixtione mutari, idque diuerſas inde actiones laeſas inducere poſſit, dubia quaeſtio eſt. Natura huius fluidi obſcura eſt: cum vero tanquam liquor, ex ſanguine ſecretus, conſiderari mereatur, naturalem quandam mixtionem particularum vt habeat, neceſſe eſſe videtur, quae forte per morboſas cauſſas mutari et in praeternaturalem deduci poteſt. Diſpoſitio atrabilaria, ſuo modo in ſanguine et lympha exiſtens, et melancholiam ac maniam inducens, haud obſcure declarat, in his morbis mixtionem fluidi neruei, modo haud cognoſcendo, mutari poſſe.

§. 234.

Diuerſitas inſignis cauſſarum, nunc a nobis indicatarum, ita quidem comparata eſt, vt ſingulis ſymptomatibus, ſuperius recenſitis, propriae non vbique aſſignari, et geneſes morborum inde declarari poſſint, niſi ad indiuidualem disquiſitionem in definitis ſubiectis accedamus. Sufficiat igitur in obſcura hac pathologiae parte generalis ſymptomatum et cauſſarum recenſio, in primis cum experientia doceat, in morbis his neruoſis non ſemper accuratum ſymptomatum ordinem obſeruari, ſed haud raro morbos, inde natos, peculiaris indolis eſſe, a pathologis haud quidem deſcriptae, ex his fundamentis tamen diiudicandae.

§. 235.

Similes cauſſae, neruis organorum ſenſoriorum applicatae, ſenſus externos vario modo perturbant et laedunt. Ipſa etiam organorum fabrica multis modis laedi poteſt, quod in guſtus, olfactus, et tactus organis, vtpote non adeo compoſitis, facile cernitur. De viſus vero et auditus organis, quae magis compoſita deprehenduntur, pauca exempli loco adducenda et vlterius a nobis explicanda ſunt.

§. 236.

In compoſito viſus organo partes externae inuoluentes et mouentes primum, poſtea via lacrymarum conſideranda eſt; bulbus tunc oculi, et quoad tunicas, quae eum conſtituunt, et quoad humores, qui in eo varia ratione continentur, ſigillatim in variis laeſionibus examinandus eſt. Adeo autem ampla eſt haec doctrina, vt, ſi omnes morboſas mutationes partium oculi et inde natas viſus laeſiones recenſere vellemus, limites compendii egrederemur: exempla igitur nonnulla ſufficiant.

§. 237.

Praeter vulnera, quae palpebris vt operculis bulbi infliguntur, harum tunica interna ad bulbum delata, coniunctiua dicta, inflammatione, ſuppuratione et eroſione afficitur; hinc affluxus ſeri acris et vlcera oriuntur, quae ſaepe tarſos arrodunt, ciliorum ſitum peruertunt, et in glandulis ſebaceis, ad limbos poſitis, grandinoſos tumores et paruos abſceſſus efformant. His laeſionibus viſus quidem non aboletur, acies tamen eius imminuitur. In pinguedine, qua bulbus oculi cingitur, tumores varii, interdum et in oſſibus orbitae exoſtoſes oriuntur, quibus

bus bulbus oculi premitur, et a ſitu naturali ita deflectitur, vt axis viſus peruertatur.

§. 238.

Muſculi, palpebras et ipſum bulbum oculi varie mouentes, paralyſi, ſpaſmis aliisque muſculoſarum partium laeſionibus afficiuntur, vnde laxitas palpebrarum earumdemque rigiditas, nec non inordinata bulbi directio pendet. Ipſi etiam tumores, circa bulbum enati, vt hunc e ſede ſua dimouent §. 237. ſic et muſculos a naturali directione detorquent, et liberum oculi motum, a quo ſumma eius perfectio pendet, impediunt: ſtrabiſmus itaque, et aliae viſus torui ſpecies, et ex his cauſſis, et ſaepe ex deprauata conſuetudine enaſcuntur.

§. 239.

Glandula lacrymalis obſtructa, indurata, et ſcirrhoſa, vel vt tumor premens, vel ob defectum lacrymarum viſum laedit, ipſa vero, ſi eſt, nimis laxa copioſiores lacrymas ſecernit, quae, niſi per puncta lacrymalia reſorbeantur, in oculo haerent, acres fiunt, carunculam et membranulam anguli interni, nec non palpebras ipſas arrodunt, et ita in oculo illacrymante per genas defluunt. Saccus lacrymalis, obſtructus et ſcirrhoſus redditus, lacrymas ſuſceptas non in nares dimittit, quae ideo ſtagnando corrumpuntur, has partes erodunt, et tumores, vlcera et fiſtulas lacrymales, ſaepe etiam cariem inducunt.

§. 240.

Ex tunicis oculi cornea pelluciditatem vel totam, vel ex parte, amittit, et ita ingreſſum radiorum in bulbum impedit. Seroſae enim acrium

 humo-

humorum congeſtiones, multo magis vero inflammationes, puſtulas, vlcuſcula, cicatrices et pannos relinquunt, quibus tunica haec minus pellucida efficitur. Choroidea inflammationem oculi internam, dolores, ſpaſmos et ſuppurationem patitur, quibus viſus mire turbatur, ſaepiusque prorſus tollitur, magis vero vuea ſimilibus laeſionibus tentatur. Ob has vero vel alias cauſſas motus pupillae deſtruitur, ſi illa vel nimis contracta, vel nimis dilatata et immota perſiſtit, et ita viſum, vel in lucido, vel in obſcuro, tantum loco permittit.

§. 241.

Fibrae medullares, in neruo optico ad retinam deductae et in ea expanſae, nonnunquam exſiccantur, et ſentiendo aptae eſſe deſinunt. Neruus enim opticus obſtructus, compreſſus et aridus factus, totius ſenſus abolitionem ſiue amauroſin affert, cum laeſio ad retinam transferatur. Sed et maculae et ſcintillae, ante oculos verſantes, ſaepius ex vitio quodam fibrarum medullarium nerui optici et retinae oriuntur, et continuam, quamquam partialem, laeſionem generant. Interdum tamen vaſa, his intertexta, ſeroſo lymphatica congeſtiones ſeroſas efficiunt, ex quibus obnubilationes ſenſus tranſitoriae inducuntur, quae et a ſpaſmis augentur.

§. 242.

Si humores oculorum obſcuri et minus pellucidi fiunt, nec radios transmittunt, nec conuenienti ratione refringunt. Hoc in aqueo obſeruatur, ſi a viſcido, ibi concreſcente, cataractae ſpuriae oriuntur humor tamen ipſe ceteroquin ſanus et augeri et imminui poteſt, et inde vel corneam nimis eminentem

nentem et conuexam, vel nimis depreſſam et flaccidam reddit. Et vitreus obſcuritatem contrahit, ſi humores non aequabiliter circulantur, ſed ſtaſi ſpiſſiores fiunt. Maxime vero lens cryſtallina et in membrana inuoluente, qua vitreo iungitur, v. c. per inflammationem, et in interna ſubſtantia, ex lamellis concentricis facta *Phyſiol.* §. 520, per humorum ſtaſin corrumpitur. Interdum enim corpus lentis in laminis minimis, ex quibus componitur, marceſcit, interdum ab impuris humoribus, ibi depoſitis, obſcuratur, vnde hebetudo viſus et ſuffuſionis variae ſpecies oriuntur.

§. 243.

In auditus organo laeſo, vel nimis acutum, vel grauem auditum, vel plenariam ſurditatem, obſeruamus. Si igitur primo viam, per quam aer ad tympanum tranſit, conſideramus, conformatio peruerſa auriculae, vel eius defectus ſenſum turbat. Magis vero meatus auditorius attendi meretur, quippe qui vel feroſa colluuie relaxatur, vel cerumine copioſo, ſordibus remixto et indurato, vel tumore, inflammatione et vlcere, ita quidem mutatur, vt ſonus, vel prorſus non, vel difficulter et cum moleſtia ad tympani membranam pertingere eandemque ferire, et ita ad interiora penetrare poſſit.

§. 244.

Et ex membranae tympani vitio auditus varie laeditur, quippe quae vel finditur, vel relaxatur, vel rigida et non nunquam oſſea fit, et ita tremores minus apte, ad cauitatem tympani transferendos, ſuſcipit. Sed alia etiam ex ore in aurem internam patula via, ſcilicet tuba euſtachiana, pituita, ichore,

pure vel alio corpore peregrino repleta, vel post vlcera faucium, in primis venerea, coalita, impedit, quo minus aer atmosphaericus renouari, et ita soni accurate ad labyrinthum continuari possint.

§. 245.

Si cauitatem tympani in se consideramus, inflammatio periostii, colluuies serosa et purulenta, ibi collecta, auditum perturbant. Si ossa et musculos attendimus, illa a mala conformatione et dispositione, hi a spasmo, paralysi et aliis partium musculosarum vitiis ita mutantur, vt peruersus, vel nullus inde percipiatur sonus. Simile quid in labyrintho, quoad osseam, vasculosam et neruosam partem considerato, euenit, ita, vt in primis inflammationes internae, dirissimi dolores, praesertim in percipiendis sonis, producantur. Neruus etiam acusticus ipse marcescit et eroditur, ideoque surditatis caussa est.

CAPVT IV.

DE ACTIONIBVS NATVRALIBVS LAESIS.

§. 246.

In actionibus naturalibus laesis examinandis vitia digestionis, ad ductum canalis alimentorum, primum disquirimus, et chylificationem inde impeditam simul coniungimus; postea se et excretionis laesae rationem, in genere declaratam, exemplis quibusdam illustramus, tandem et nutritionis negotium, vario modo turbatum, diiudicamus.

§. 247.

§. 247.

Et primo quidem appetitus ciborum naturalis vel imminuitur, vel augetur. Δυσορεξία nimirum imminutum, ἀνορεξία prorſus deletum appetitum declarant; ἀποσιτία vero faſtidium ciborum, quale eſt carnium in febribus acutis, indicat. Inſatiabile fere ciborum deſiderium cum celeri digeſtione βούλιμος, ſeu fames bouina dicitur, quod ſi vero aſſumta vomitu protinus reiiciuntur, famis caninae nomine venit: pica vero appetitus deprauatus alienarum rerum, quae in nutrimentum corporis, vel prorſus non, vel difficillime conuerti poſſunt, appellatur.

§. 248.

Appetitum imminutum *) faciunt pituita et alimenta in ventriculo relicta, minus digeſta, ſed corrupta, laxitas tunicae muſculoſae, liquor gaſtricus vel deficiens, vel quoad indolem vario modo deprauatus, bilis viſcida, iners. Auctum vero reddunt liquores, digeſtioni inſeruientes, iuſto acriores redditi, valida ventriculi vis, a robore muſculoſarum fibrarum nimio oriunda, vermes, irritatione digeſtionem accelerantes, vis imaginationis in grauidis laeſa.

*) „Sub initium plurimorum morborum appetitus naturalis tantum non ſemper perit: idque vel a toto ſyſtemate neruoſo tum temporis male affecto, vel ab humoribus, digeſtioni inſeruientibus, non rite affluentibus.

§. 249.

Sitis *Phyſiol.* §. 383. inſigne potulentorum deſiderium, ab aſſumtis fluidis vix leniendum, denotat, et ab acrimonia, in primis viis et praecipue in ventriculo haerente, v. c. muriatica, excitatur. In plu-

 ribus

ribus vero morbis ſymptoma eſt, ab immeabilitate humorum oriundum, per quam nimirum, ex variis cauſſis productam, ſaliuae et liquoris gaſtrici defectus nimiaue tenacitas inducitur.

§. 250.

Manducatio laeſa a muſculorum, huic actioni dicatorum, ſpaſmo vel paralyſi, a luxatione alioque vitio, circa maxillam inferiorem eiusque potiſſimum articulum deprehendendo, a dentibus carioſis et deficientibus, et tandem a qualibet congeſtione feroſa et inflammatoria oris et linguae inducitur. Saliuae etiam defectus, vel diſpoſitio eius deprauata, actionem hanc difficiliorem reddit. Hinc deglutita, non maſticata, difficulter vel prorſus non digeruntur.

§. 251.

Deglutitio laeſa dicitur, quando ad ventriculum deferenda per pharyngem non deſcendunt, ſed aliena loca petunt, dum ex faucibus ad os, nares et laryngem regeruntur *Phyſiol.* §. 366 *ſqq.* In partibus itaque, ab ore ad pharyngem vſque ſitis, huius actionis laeſae ratio poſita eſt, quae vel in tunica interna oris et faucium laeſa, congeſtionibus ſeroſis et pituitoſis, vulnere, inflammatione, abſceſſu, gangraena, ſphacelo, vlcere et ſcirrho, has partes afficientibus, vel in muſculis, ad eum motum concurrentibus, paralyſi et ſpaſmo affectis, vel in aliis partibus vicinis, ad fauces ſitis, reperitur.

§. 252.

Angina non tantum deglutitionem, ſed et reſpirationem laeſam indicat, quoniam et deglutienda et aer per vias, vtrique huic actioni dicatas, nunc morbo

bo affectas, difficulter tranſeunt: in reſpiratione autem laeſa anginae mentionem non fecimus, quoniam laryngem et tracheam, vt partes, tum potiſſimum laeſas, cum deglutitionis viis connexas, conſiderare poſſumus. Optime diſtinguunt anginam a cauſſa laedente, in ſeroſam, inflammatoriam, cet. Veterum enim nomina, κυνάγχη et συνάγχη, quae grauiorem laeſionem, παρακυνάγχη et παρασυνάγχη, quae mitiorem laeſionem indicare videntur, minus accurate definita inueniuntur. Vid. VAN SWIETEN in Commentariis in aphoriſmos BOERHAAVII Tom. II. ad §. 783 p. 618 ſqq.

§. 253.

Alimenta aſſumta interdum in ventriculo non digeruntur, idque vel liquorum digerentium, vel actionis ventriculi et motus reſpiratorii, digeſtionem in ſtatu naturali adiuuantis, vitio. Hinc digeſtio laeſa cruda in ventriculo colligit, quae cibos, bonae notae accedentes, corrumpunt. Δυσπεψία et βραδυπεψία digeſtionem difficilem et languidam, ἀπεψία eam plane deprauatam indicat; quando vero alimenta in ventriculo, pro varia ſua indole, corrumpuntur, διαφθορὰ dicitur.

§. 254.

Acris et corrupta indoles contentorum ventriculi cardiam, oeſophagum et inde diaphragma male afficit; hinc oritur ſingultus *Phyſiol.* §. 446. qui et ab aliis cauſſis, ventriculum aut diaphragma male afficientibus, excitatur, et conuulſiuam quaſi pectoris ſuccuſſionem efficit. Ructus fiunt violenta aeris exploſione ex ventriculo, ob oeſophagum, ſpaſtice conſtrictum, per interualla et cum impetu proſiliente,

et

et a vitiis digeſtionis tanquam ſymptoma pendent: dicuntur enim a cauſſa nidoroſi, acidi cet.

§. 255.

Alimenta et medicamenta, cum auerſatione ingeſta, vel acria et cruda, in ventriculo collecta, neruos, in primis paris vagi circa cardiam copioſe diſperſos, male afficiunt, inde nauſeam, conatus vomendi et tandem vomitum ipſum inducunt *Phyſiol.* §. 381. Vomitus vero et a plenitudine ventriculi, et ab acribus et nauſeoſis ſtimulis excitatur, ac violentam euacuationem contentorum ventriculi per os inducit. Haec vero ſymptomata non tantum a cauſſis, in ventriculo haerentibus, ſed et ab aliis, neruos in genere male afficientibus, excitantur, v. c. ab idea rei ingratae, laeſione capitis, calculo, cet. A differentia materiae reiectae vomitus bilioſus, pituitoſus, cruentus cet. appellatur.

§. 256.

Vti vero celerior alimentorum progreſſus per ventriculum et inteſtina, a potu copioſius ingurgitato *Phyſiol.* §. 811. motuque nimio et reſpiratione inde aucta, digeſtionem laedit *Phyſiol.* §. 831. et cruda vrget, ſic multo magis ob inertiam bilis et liquoris pancreatici et inteſtinalis, ex quibus cauſſis motus periſtaltici languor inducitur, alimenta non digeſta promouentur. Ea ergo vel prorſus non mutata, vel non ſatis elaborata, per inteſtina tranſeunt et reiiciuntur, quod vitium laeuitatem inteſtinorum ſiue λειεντεϱίαν medici appellant.

§. 257.

Interdum quidem organa digeſtionis et liquores digerentes in concoquendis alimentis egregie coope-

ran-

rantur, ſed viae chyliferae vel obſtructae, vel relaxatae ſunt, et ideo optimam digeſtorum partem ſugere nequeunt, quae hanc ob cauſſam ſimul cum excrementis ad inteſtina craſſa propelluntur et eiiciuntur. Actio haec laeſa affectio coeliaca dicitur, et nutrimenti partem optimam tollit.

§. 258.

Non tantum vero alimenta, minus rite elaborata, ex canali alimentorum eiiciuntur, digeſtione et chylificatione laeſa; ſed et ſerum, copioſius ad inteſtina fluens, bilis corrupta et acris, impetuoſe mota, acrimonia rancida, acida, aliaue, ex alimentis relicta, ſanguis floridus, ſtagnans, nigricans, corruptus, et alia, vel mole ſua, vel acri ſtimulo violant canalem alimentorum, ideoque ſpaſmos excitant, quos dolores colicos in genere a colo inteſtino dicere ſolemus, licet et ſaepius tenuia inteſtina acrimonia ſcateant et irritentur. Ipſe vero effluxus eiusmodi materiae, pro differentia cauſſae et indole ſecreti humoris, variis nominibus inſignitur.

§. 259.

Quando enim materia acris et corrupta alimentorum, ſeri et bilis, in ventriculo et inteſtinorum tractu collecta, vrgetur, maximo cum impetu mouetur, ſimul tamen ſpaſticis doloribus plus minus coercetur, tunc ſurſum deorſumque propellitur, vomitum cum excretione aluina coniunctum excitat, et cholera morbus appellatur, cum praecipue bilis acris, in duodeno mota, et ſurſum verſus ventriculum et deorſum verſus inteſtina materia, morboſe collecta, maximo cum impetu expellatur.

§. 260.

§. 260.

Diarrhoea frequentem et copiofam fluidae materiae euacuationem per aluum indicat, vt in ferofam vel biliofam, cet. vel porro ratione effectus in falutarem et morbofam diftinguatur. Saepius, vbi materia non adeo acris et ftimulans eft, fine vllo dolore tranfit, faepius borborygmis, flatibus et fpafmis ftipata deprehenditur; femper tamen diarrhoeae nomen in leuiori morbo tantum affumitur, fi nec febris ingens accedit, nec fpaftici motus atque dolores enormes funt, nec corrupta adeo materia eiicitur.

§. 261.

Grauius vero malum eft dyfenteria, fi difficulter, cum moleftia infigni et fummo dolore atque tenefmo, non tantum ob acrimoniam mucus inteftinalis abftergitur et euacuatur, fed laefa quoque inteftina fanguinem fundunt, eumque vna cum caruneulis, pure et aliis morbofis humoribus euacuant; hinc vt plurimum in dyfenteria, increbrefcentibus deiectionibus, tormina exafperantur, quae vero in diarrhoea aluo depofita remittunt. Vterque vero morbus per affluxum humorum, plus minusque acrium, poft refrigerium externum, ad inteftina conuerfum, non tantum oritur, fed non numquam maxime augetur.

§. 262.

In lentis faepius inteftinorum relaxationibus et erofionibus, in fluxu haemorrhoidali inordinato, inprimis in glandulis fcirrhofis, aut adeo carcinomaticis, pituita acris, fanguis putridus et materia ichorofa effunditur, ex vifceribus etiam abdominalibus,

vlceri-

vlceribus affectis, humor saniosus ad intestina deriuatur, variique ventris fluxus prodeunt, qui cum fluxu hepatico confunduntur. Hic enim tunc potissimum oritur, cum materia putrida bilis et sanguinis grumosi corrupti, nonnunquam cum pure et carunculis remixti, ex hepate per intestina tenuia et crassa, saepe etiam cum dolore et tenesmo, descendit et euacuatur.

§. 263.

Vti vero faeces aluinae, sic et alii humores, per canalem intestinorum morbose fluentes, in progressu suo ad anum impediuntur, motu peristaltico inuerso versus superiora propelluntur, et vomitu reiiciuntur, quae actio laesa iliaca passio, siue ileus morbus dicitur. Caussae, in quolibet impedimento, progressum faecum aluinarum ad inferiora prohibente, positae sunt, et scybala duriora, calculosa §. 172. inflammatio, spasmus, voluulus siue intestinorum morbosa conuolutio, eorumque in se inuicem facta retractio atque intorsio, et alia plura, huc referri merentur.

§. 264.

Saepius vero vel siccitas intestinorum, et inde orta scybalorum durities, vel motus peristalticus languidus, actione respirationis non satis adiutus, vel laxitas intestinorum, v. c. a calido et aquoso potu inducta, faeces aluinas in motu suo cohibet, et obstructionem aluinam efficit, quae etiam a spasmo, in recto potissimum intestino per haemorrhoides excitato, oriri solet, et pondus abdominis molestum, flatus intestina distendentes, et dolores tensionesque producit. Spasmus ab his, vel aliis caussis, potissimum

mum acri aliqua materia, vt in dyſenteria, in inteſtino recto inductus, teneſmus appellari ſolet, qui crebrius, at inane, deſidendi deſiderium producit.

§. 265.

Actionum vitalium laeſiones, quibus circulus ſanguinis et humorum in vniuerſum perturbatur §. 204 *ſqq.* ipſas ſecretiones humorum inde deriuandas quoque laedunt. In febribus oritur ſitis ex immeabilitate et varia inquinatione ſaliuae §. 249. ſimili prorſus modo et perſpirationis inſenſibilis, et vrinae aliorumque humorum liber ad colatoria acceſſus atque tranſitus impeditur. Deprauata ſanguinis et humorum mixtio ſecretos quoque humores afficit, quam laeſionem tamen hic non tangimus, cum ex iis, quae de cacochymiae differentia diximus §. 34 *ſqq.* declarari poſſit, ſed alia quaedam ſecretionis laeſae exempla et modos nunc tradimus.

§. 266.

Perſpiratio inſenſibilis laeditur, ſi laxitas tubulorum cutaneorum ipſaque humorum tenuitas ſudorem copioſiorem exprimit, qui ſaepe vires corporis eneruat, et acria ad cutim deriuat, vt, fluidiſſimis particulis diſſipatis, puſtulae et maculae variae formae ex acrimoniae ſtimulo exſurgant, vti in exanthematicis febribus conſpicimus, quae plus minusue inſignes inflammationes, puſtulas ſeroſas et alia varia incommoda, ſaepius pruritum et eroſionem in cute, producunt.

§. 267.

Bilis ſe et excretio laeſa alia ſymptomata in hepatis viſcere, alia in canali alimentorum et reliquo

corpore

corpore excitat. In hepate enim infarctus, obstructio et scirrhus, in viis biliariis et vesicula fellea calculus obseruatur, bilis acris, per vias biliferas mota, spasmos et inflammationes producit, ad duodenum vero delata, diarrhoeas biliosas, choleram et alios morbos efficit. Bilis exitus denegatus cachexiam biliosam et icterum, scilicet effusionem bilis in sanguinem, producit; cum vero bilis in intestina non fluit, digestio laeditur, stimulo deficiente faeces aluinae figuntur et argillaceae redduntur.

§. 268.

Si succus pancreaticus ex glandula pancreatis obstructa et scirrhosa fluere nequit, bilem nec diluit, nec digestioni aptam reddit; hinc stimulus nimius, a bile acri oriundus, chylificationem turbat. Liquor intestinalis deficiens eodem modo siccitatem intestinorum inducit et duriora scybala figit. Mucus intestinorum, si deficit et abrasus est, quemlibet stimulum intestinis molestum reddit, et dirissimam illam colicam, pictonum dictam, efficit; eius vero augmentum et nimia inspissatio glutinosum in primis viis auget, resorptionem chyli impedit, et vermibus generandis ansam praebet.

§. 269.

Vrina in renibus secreta, interdum copiosius affluit, et spuriam diabetem inducit, si vero, quod rarius euenire solet, optimas et nutritioni aptas particulas simul secum ducit, et lympham optimam simul excernit §. 162. tunc vera adesse cognoscitur diabetes, quae summam debilitatem et prostrationem virium efficit. Caussae in laxitate vasorum et tubulorum renalium, nec non in mixtione deprauata

ta ſanguinis quaerendae ſunt. Interdum parcior eſt vrina, cuius ratio et in viis ipſis, et in mixtione vrinae quaerenda eſt.

§. 270.

In via enim vrinae, a renibus per vreteres, veſicam et vrethram deducta, arenulae et calculi, ſanguis grumoſus, pus, carunculae cet. progreſſum huius humoris excrementitii impediunt. Ipſa etiam vrina, acris reddita, mucum naturalem, in viis vrinariis exſudantem, nimium abſtergit, et tunc ſtimulo moleſta, ſpaſmos, excretionem vrinae intercipientes, concitat. Hoc vltimum potiſſimum obſeruamus, ſi acres particulae, in primis ex potu, minus rite fermentato, nec non ex medicamentorum diureticorum et aphrodiſiacorum abuſu huc deducuntur, quae vias has nimium irritant, vti exemplo cantharidum abunde declaratur.

§. 271.

Ex his potiſſimum cauſſis δυσȣρία oritur, ſi ſcilicet vrina cum moleſtia et ardoris ſenſu excernitur ita vt inſpiratione tantum leuiter intenſa, protrud nequeat, ſed vehementi demum conatu exprimatur Species huius mali eſt ςραγγȣρία, vbi vrina guttatim et cum intenſo dolore excernitur. Si tanden hic humor excrementitius prorſus intercipitur; e ne gutta quidem excerni poteſt, tunc valida hae vrinae retentio ἰσχȣρία dicitur, quae vel a ſpaſm vehementiſſimo, vel ab inſigni partium, vrinae ſe cernendae inſeruientium, obſtructione, inflammatic ne aliisque pluribus cauſſis producitur.

§. 27

§. 272.

Quando vrina, in veſica collecta, praeter voluntatem ſponte effluit, incontinentia eius appellatur. Haec a ſola laxitate, paralyſi vel deſtructione ſuppuratoria et gangraenoſa fibrarum, orificium veſicae cingentium, oritur, et vt plurimum poſt partum, cum inſigni moleſtia editum, interdum etiam ex calculo, diutius haerente, et ob anguloſam figuram partes has irritante et deſtruente, euenire ſolet.

§. 273.

Nutritio laeſa atrophia dicitur, in qua reparatio particularum, fibras minimas componentium, et boni glutinis, poſt deſtructionem quotidianam neceſſaria, vel prorſus non, vel non apte ſatis perficitur, ita, vt inde vis et robur ſolidorum deſtruatur: et ſi enim vires vitae, a fluidi neruei ſecretione et diſtributione potiſſimum pendent, vires tamen vitales et elaſticae corporis ad conſeruationem vitae, in genere praeſtandam, ſimul concurrunt, hanc vero elaboratio, aſſimilatio et appoſitio optimorum humorum iuuat, et vigor neruorum, qui inde pendet, quoque efficit.

§. 274.

Ad nutritionem enim vltimam, non rite abſoluendam, multae faciunt cauſſae. Defectus vel deprauata indoles alimentorum et potulentorum; imbecillitas actionum digeſtionis, chylificationis et ſanguificationis; diſſipatio optimorum humorum per ſe et excretiones varias; acrimonia quaelibet, in morbis nata, vel corrumpendo mixtionem bonam in fluidis, vel irritando ſolida minima, indeque appoſitionem optimi ſucci impediendo, id quod in

cacochymia qualibet, et in febribus acutis praecipue animaduertitur, in quibus praeterea circulatio humorum vehementior et motus inde destructorius est. Defectus tandem virium, ea, quae iam quodam modo apposita sunt, ita assimilandi *Physiol.* §. 254. vt veram partium indolem exprimant, et cuius caussa in nerueo fluido, quoad motum et indolem peccante, quaerenda est, in laesa nutritione attendi meretur.

§. 275.

Nutritionem itaque laesam esse, cognoscimus in infantibus, quorum glandulae mesaraicae obstructae sunt, vel quibus vermes optimum chylum subducunt, qui morbus atrophia infantum dicitur; in feminis imbecillioribus, quae foetum in vtero gerunt, vel paruulis lac ex mammis praebent; in viris, qui venere abutuntur et sperma nimium excernunt, vnde tabes dorsalis; in hypochondriacis et cachecticis: in iis, qui viscera scirrho, vlcere, vel alia labe affecta gerunt, vnde variae febres lentae, phthisica in primis et hectica, oriuntur; in senibus, vbi defectus humorum nutrientium et nimia fibrarum rigiditas nutritionem impediunt, quem hominis statum senilem marasmum appellamus.

§. 276.

In iis vero, in quibus nutritio deficit, primo marcor et macilentus corporis status obseruatur, vbi humores in cellulis illius contextus, qui inter omnes corporis partes atque membranas intersertur, deficiunt, vnde corpus quasi exsuccum redditur, in quo statu tamen vigor solidorum non numquam diutius conseruatur: postea vero et quando fibra, vel

nimis

nimis laxa, vel nimis rigida facta, appositionem et assimilationem particularum non praestat, nutritionis defectus euidentior euadit; in vtroque enim statu actio languida solidorum particulas nutrientes nec rite applicat, nec contractione conuenienti vnit.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT V.

DE ACTIONIBVS SEXVS LAESIS.

§. 277.

Partium singularium vtriusque sexus concursus nouum hominem producit; in vtroque igitur sexu harum partium actiones laesae interdum obseruantur, quibus in viris impotentia virilis, in feminis sterilitas inducitur. Licet vero obscurum generationis negotium has actiones laesas saepe etiam absconditas reddat, non incongruum tamen erit, aliquod et actionum laesarum et caussarum scrutinium suscipere, quo medicus in iis diiudicandis dirigatur.

§. 278.

Impotentia virilis est defectus virium in sexu potiori, ad coitum incipiendum, et, vt decet, absoluendum, necessariarum. In hac igitur disquirenda et ad penem eiusque erectionem, et ad spermatis secretionem et indolem respiciendum est. Penis vel in figura laeditur; vel in alia, quam extrema parte, perforatur; vel proportionem ad feminae vaginam non habet; vel corona glandis eiusque praeputium inflammatione, vlceribus aliisque incommodis male afficiuntur; vel mentula virilis tota viribus neruo-

rum ad erectionem inchoandam et ſuſtinendam deſtituitur; vel cauum vrethrae, vel corpora cauernoſa ipſa, vlceribus, callo, carunculis et cicatricibus obſeſſa, ad aequalem ſeminis emiſſionem apta non ſunt.

§. 279.

Seminis elaboratio ex ſanguine longam exigit viam *Phyſiol.* §. 544 *ſqq.* In tenerrimis itaque his canalibus laxitas, collapſus, obſtructio aliaeque vaſorum laeſiones, ſeminis ſe et excretionem impediunt; et vti in infantibus et pueris haec ſecretio nondum perfecta eſt, ſic in ſenibus et defectus humorum optimorum ad ſecretionem ſeminis efficiendam, et collapſus tenerrimorum horum vaſculorum aut eorum rigiditas obſeruantur. An ſperma quidem verum, ad fecundationem tamen haud aptum, ſecerni poſſit, dubia quaeſtio eſt. Vlcera proſtatarum et glandularum vrethrae ſecretionem optimi ſeminis vix impediunt, excretionem tamen interdum laedunt.

§. 280.

Sterilis dicitur femina, quae ad foetum concipiendum minus apta eſt. Haec a laeſione partium internarum et externarum inducitur: externae nimirum partes, vario modo coalitae, viae anguſtatae, eroſae, penem virilem vix admittunt. Porro vteri cauitas calloſa, anguſtata, coalita, vlceribus et pituita obſeſſa, menſtruorum, vel deficientium, vel non rite ſuccedentium cauſſae, tubarum viae diſtortae et laeſae, nec non ouaria morboſa, vlceribus, tumoribus cet. obſita, coitum, licet locum habere adhuc poſſit, minus tamen fecundum reddunt.

§. 281.

Femina etiam, quae foetum concepit, eumdem in vtero perfectum reddere quandoque non valet, ſed abortum patitur. Eſt vero abortus praematura foetus excluſio, quae vel a laxitate partium et debilitate vniuerſali, vel a copia nimia ſanguinis, ad vterum appulſi, vel ab embryonis et ſecundinarum vitio, vel ab aliis cauſſis externis, vterum male afficientibus, producitur.

*) „Si partus ante initium ſeptimi menſis editur, abor„tum feciſſe dicitur femina: poſt ſextum vero men„ſem editus partus praematurus ſeu praecox dici ſo„let. Abortus itaque vocabulum generali ſenſu hic „ſumitur.

§. 282.

Femina infanti, ex vtero excluſo, ſaepe mammas praebere nequit, quoniam ſe et excretio lactis in ill s laeditur. Vel enim nimia lactis appulſi copia matris vires eneruat; vel femina nimis obeſa, et in proprio corpore bene nutrita, nullum ferme humorem ad mammas deriuat; vel obſtructio, ſcirrhus, carcinoma in corpore mammarum glanduloſo deprehenditur, vel papillae nimis eleuatae et magnae, vel nimis depreſſae et paruae, lactationem impediunt, vel tubuli lactiferi prorſus obſtructi et coaliti deprehenduntur.

PARS IV.

SEMIOTICA

SIVE

TRACTATIO DE SIGNIS MORBORVM.

§. 283.

Cauſſae et ſymptomata, nunc a nobis conſiderata, ita ſe in morbi progreſſu §. 11. excipiunt, vt illae rationem actionum laeſarum, hoc eſt, ſymptomatum contineant. Ad veram ergo morbi ideam §. 10. per examen vel cauſſarum vel ſymptomatum deducimur §. 189. Nunc, cum ſemiotica ſit ea doctrinae medicae pars, quae ſigna vitae, ſanitatis, morbi et mortis eruit et diiudicat, qua de re nos quidem in *Phyſiologiae* Part. III. §. 590 *ſqq.* diximus, morborum ſigna, in antecedentibus diſperſa, colligimus et apto ordine proponimus.

§. 284.

Ardua autem haec doctrina eſt, quam, ex veterum ſcholis acceptam, alii ſubtilius explicatam hypotheſibus obſcurarunt, alii, qui naturae vias ſequi cogitando non didicerant, prorſus neglexerunt. Cum vero nemo medicus artis peritus dici poſſit, niſi qui omnis pathologiae ſummam in ſemiotica cogat, noſtrum autem hoc loco ſit, primas lineas huius diſciplinae ducere, praecipua ſigna, quantum quidem fieri poterit, tradere apto ordine annitemur, vt noſtrae doctrinae alumnos, contemplanda natura praeſtantiſſimisque auctoribus legendis, plura addere doceamus.

CAPVT

CAPVT I.

DE SIGNIS MORBORVM IN GENERE.

§. 285.

Mutationes corporis humani medici e phaenomenis animaduertunt, ex quibus ſedulo collectis ſigna conſtituunt, quibus ſanus aeque ac aegrotus hominis ſtatus definiatur. Cum vero ad varias res, quae in corpore humano et per illud effici poſſunt, attendunt, non tantum ſanas et laeſas corporis actiones in ſe cognoſcunt, ſed etiam cauſſas, quae illud in ſanitate et morbo mutant, ſedulo perpendunt, quibus inter ſe collatis veram mutationis rationem eruant: quod cum in tanta rerum obſcuritate non ſemper fieri poſſit, in rationis ipſius ignoratione ſaepius experientiae certae confidunt.

§. 286.

Machina corporis animalis maxime compoſita eſt, ideoque cauſſae agentes copioſae, et actiones complicatae inueniuntur, pauca etiam phaenomena externa vt ſigna aperta occurrunt, plura intus latent, initia tamen ſunt disquiſitionis, nosque internas et tectas reuelare quodam modo docent, dummodo ſuperiores doctrinas pathologicas in ſeriebus mutationum morboſarum nobis familiares reddiderimus. Sic v. c. ſanguis floridus ſpumeſcens, tuſſi reiectus, ſignum eſt laeſorum pulmonum, quod ſanguis effuſus, aere elaſtico admixto, in ſpumam agitur: ſic alia quoque ex pulmonibus reiecta materia internae laeſionis ſignum eſt.

§. 287.

Quoniam autem aeger per ſeriem mutationum morboſarum progreditur, non quidem ſufficit, vni et alteri ſignorum confidere, ſed, cum in ſcrutinio cauſſarum et effectuum multa occurrant examinanda, medicus ex his praecipua tantum ſeligere et inter ſe comparare tenetur, vt demum non tantum ſtatum praeſentem, ſed et praeteritum et futurum cognoſcat. Nos vero in hac tractatione generalem tantum ſignorum differentiam tradimus, et ideo illa in anamneſtica, diagnoſtica et prognoſtica diſtinguimus *Phyſiol.* §. 591. vſum autem et compoſitionem omnium in diſciplinis practicis exhibebimus.

§. 288.

Anamneſtica ſigna ex earum mutationum examine petuntur, quae euenerunt, antequam praeſenti morbo correptus fuerat homo. Haec ſigna ergo ex cauſſis petuntur, ex quibus iam olim praeuidimus, talem effectum in corpore productum iri, et nunc ipſam hanc mutationem morboſam ortam eſſe intelligimus; quam ob rem etiam morbi antecedentes alii, tanquam cauſſae praeſentium, conſiderandi ſunt. De his ſignis igitur capite ſecundo acturi ſumus.

§. 289.

Diagnoſtica ſigna ex attenta conſideratione mutationum, quae nunc in aegro fiunt, petuntur. Patent itaque ex generali conſideratione omnium affectionum morboſarum, quae et ſolidis et fluidis corporis humani partibus, vel in ſe, vel in compoſitione, accidere poſſunt. Haec ſigna poſtea in ſpecialioribus morbis examinandis vario modo coniuncta occurrunt, et ſigillatim enumerata, con-

iun-

iunctim tamen considerata, ideam status praesentis aegroti exhibent. De his in capite tertio dicendi erit occasio.

§. 290.

Ex his signis saepius vnicum est, quod statum morbi praesentem declarat, et ideo pathognomonicon dicitur, scilicet vnicum illud, quod immediate ex ipsa morbi indole prouenit, et quo conspecto medicus morbum praesentem diiudicat: v. c. color flauus cutis in ictero, sanguis floridus spumescens in haemoptoe. Hoc quidem signum peculiarem attentionem meretur, cum nos breui quasi via ad veram morbi cognitionem ducat. Attamen, cum vix semper vnicum dici possit, sed ex pluribus, varie inter se comparatis, signis, ab intellectu medici cuiusdam exercitati in vnam quasi ideam coactis, exsurgat, tirones saepius confundit, et exercitatum in morbis iudicium requirit.

§. 291.

Prognostica signa sunt conclusiones, ex variis diagnosticis, interdum etiam anamnesticis, signis, in auxilium vocatis, petitae, quae statum morbi futurum siue mutationem eius in sanitatem, morbum alium, vel mortem ipsam, declarant. Quando itaque certa signa, ex actionibus sanis, vel morbo etiam praesente in vigore persistentibus, vel vario modo laesis, vel prorsus sublatis desumta, adesse cognoscimus, et vel vnam vel alteram ex nunc commemoratis mutationibus euenire animaduertimus, tunc ad alios quoque casus similes concludimus, et ita prognosin, in aliis morbis factam, non solum huc reducimus, sed et per signa ipsa rationem mutationis deprehendimus. De his aget caput quartum.

§. 292.

§. 292.

Quoniam vero ob amplam nimis tractationem de singulorum morborum signis sigillatim exponere vix possumus, in vnico et praecipuo exemplo, scilicet in febribus acutis, capite quinto praxin semiotices exposituri, et de signis mutationis morbosae in cruditate, coctione et crisi dicturi sumus. Hanc vero tractationem eo magis vtilem futuram iudicamus, cum obseruationes veterum de morborum mutationibus simul examinare, et hanc, ex febribus acutis petitam, theoriam ad alios acutos et chronicos quoque morbos applicare possimus.

CAPVT II.

DE SIGNIS MORBORVM ANAMNESTICIS.

§. 293.

In hoc quidem capite pertractando fini nostro conuenientius vix versari poterimus, quam si, quibusdam morbis assumtis et praesuppositis, ad caussas remotas et praedisponentes, nec non ad morbos ipsos, vt caussas consideratos, respiciamus, et quo modo ex his mutationibus morbus praesens oriri possit, declaremus. Explicabimus igitur laxitatis et phthiseos exemplis attentionis medici ad vitam praegressam, in diiudicandis morbis praesentibus, vtilitatem, et varia monita in colligendis signis anamnesticis obseruanda subiungemus.

§. 294.

§. 294.

Laxitas ſolidorum, tum vniuerſalis, tum potiſſimum in primis viis, ex cauſſa remota occaſionali, ſcilicet potu aquoſo, praecipue calido copioſe ingurgitato, pendet. Simili modo ſudores, nimium expreſſi, cutis habitum relaxant, vel balnea calida illam mutationem producunt: hinc in laxitate, quam per ſigna diagnoſtica iam deprehenſam ſupponimus, calida et humida, vel toti corpori, vel quibusdam eius partibus nimium applicata, hanc laxitatem produxiſſe reminiſcimur.

§. 295.

Porro laxitas nimia iis corporibus propria eſt, quae humorum copiam alunt, et inde ſolida, tanquam partes continentes, nimis diſtenta habent; hinc temperamentum phlegmaticum morbos, a laxitate ſolidorum oriundos, fouet et auget. Quod ſi igitur hydropem laxitatem ſolidorum inuoluere cognoſcamus, hunc ipſum morbum adeſſe per ſigna anamneſtica, ex temperamentis petita, perſpicimus, ex quorum theoria phlegmaticis et obeſis talem morbum quaſi proprium eſſe cognoſcimus.

§. 296.

In morbis grauioribus, diu et vehementer corpus afficientibus, v. c. in febribus intermittentibus et continuis validioribus, reparatio apta ſolidorum per nutritionem ſufficientem fieri non potuit, hinc poſt eosdem ſuperatos oedemata et hydrops ſaepius accedunt. Si igitur hi morbi poſt febrem validiorem praegreſſam oriuntur, febrim hanc laxitatis, et laxitatem oedematis et hydropis cauſſam eſſe, cognoſcimus. Sic morbus praegreſſus fit

ſignum

ſignum anamneſticum, ex quo praeſentem accuratius diiudicare valemus.

§. 297.

Phthiſis pulmonalis corruptionem viſceris pulmonum, ex vlcere in eo nato, declarat. Si hominem itaque conſideramus, qui motu vehementiore, cantando vel clamando, olim pulmones multum exercuit, qui in aere, particulis mercurialibus, ſulphureis, arſenicalibus ſcatente, diu vixit, tunc morbum hunc praeſentem facile induci poſſe, ex nimia vi, pulmonibus illata, iudicamus. Signa ergo morbi huius anamneſtica ex cauſſis occaſionalibus petimus.

§. 298.

Homo in iuuenili aetate, vegeto et ſano corpore praeditus, alimenta ſumta optime digerens, et chylum et ſanguinem copioſum inde conficiens, cuius praeterea corpus, motu exercitatum, in longitudinem inſignem excreſcit, et qui ſimul pectus depreſſum anguſtum habet, tantam ſanguinis copiam non facile per pulmones mouere poteſt: hinc ſtaſes ſanguinis in iis, inflammationes et inde ortas ſuppurationes patitur, et ad vlcera, quae phthiſin pulmonalem efficiunt, diſponitur, quae ſunt ſigna phthiſeos, nunc ortae, anamneſtica.

§. 299.

Quicunque ex aeris externi aeſtuantis vitio et ſanguine, vehementius per pulmones moto, indeque coacto, inflammationem pulmonum ſiue peripneumoniam patitur, is quidem, inflammatione etiam vtcunque diſcuſſa, laeſionis cuiusdam, in pulmonibus relictae, metum excitat, ſcilicet, quod ſtaſes liberum

berum circulum ſanguinis per pulmones impediunt, et vlcera et phthiſin pulmonalem inducunt. Sic inflammatio praegreſſa eſt ſignum anamneſticum phthiſeos praeſentis.

§. 300.

His binis et laxitatis et phthiſeos exemplis ſatis declaratum eſt, quo modo medicus, morbos praeſentes conſiderans, in vitam ante actam hominis regredi, et in ea fundamenta morborum iacta inuenire debeat, vt vlteriori explicatione ſuperſedere queamus. Non incongruum tamen fore putamus, ſi regulas quasdam generales, quae iudicium medici in morbis, ex vita antecedente declarandis, dirigant, proponamus.

§. 301.

Facilius eſt mederi aegro, cuius vitae rationem et indolem iam antea habuimus cognitas, quam ignoto, cum in iudicio, de morbis ferendo, nexum omnium cauſſarum et effectuum nobis ſiſtamus, ſi vires corporis, in ſtatu ſanitatis olim praeſentes, errores diaetae et ſucceſſiuas aetatum mutationes perpendamus. Inde etiam patet, medicum circa ſanos etiam homines cum cura atque attentione verſari, eumque in finem ſemiotica phyſiologica vti debere, quo eo exercitio ad diiudicandos morbos aptior fiat, cum eorum ſemina antea, quam euoluantur, ſaepius per plures annos in corpore lateant.

§. 302.

Quo facilius eſt in aegroto, nobis ſatis noto, morbum ex cauſſis praegreſſis, ſiue per ſigna anamneſtica

mnestica diiudicare, eo maior cura requiritur in ignoto, cuius vitae ante actae rationes nos latent. In tali itaque disquirendo cautus atque sollicitus sit medicus, ex quibusdam diagnosticis signis caussas hariolando detegat, et per quaestiones confirmet; nulla enim alia patet via, qua in veram morborum genesin inquirere, et ad accuratam praesentis status cognitionem peruenire possit, cum ratio praesentis status in praecedenti omnino posita sit.

§. 303.

Quamquam vero haec ipsa disquisitio in nonnullis aegrotis satis facilis est, ea tamen et in iis, qui in sano corporis statu se ipsos non attendunt, ideoque caussas morborum recensere nesciunt, et in his, qui ex ignominiae metu, quae cum non nullis diaetae viuendique generis vitiis coniuncta est, caussas morborum antecedentes reticere solent, difficillima redditur. Quod si igitur, v. c. de morbo venereo, de grauiditate cet. tanquam caussis praesentis morbi, suspicio oriatur, medicus iudicium suum de iis suspendat, donec per signa diagnostica de statu aegri certior reddatur.

CAPVT

CAPVT III.

DE SIGNIS MORBORVM DIAGNOSTICIS.

§. 304.

Morbi praeſentis conditionem ex iis cognoſcimus phaenomenis, quae nunc in aegro a ſanitatis regula recedere inuenimus. Si itaque ſani hominis ideam, vel generalem, vel praeſentis aegroti ſingularem, cum iis, quae nunc eueniunt, comparat medicus, ad cauſſas atque effectus, in ipſo morbo nunc praeſentes, reſpicit. Cum vero in generali noſtra tractatione ad morbos ſpeciales progredi nequeamus, in enumeratione ſignorum diagnoſticorum ad eſſentiales morborum differentias, in partis primae capite ſecundo propoſitas, tantum reſpicimus.

§. 305.

Signa tamen morborum, qui in particulis, ſolida et fluida componentibus, haerent, §. 18 *ſqq.* nimis obſcura ſunt; quam ob rem his relictis, in prima ſectione ſigna morborum, in fluidis haerentium, et ſpeciatim plethorae, cacochymiae et acrimoniarum pertractabimus; in ſecunda ſectione ſigna morborum, in ſolidis occurrentium, inueſtigabimus et ſpeciatim ad laxitatem, rigiditatem et vnitatem ſolutam reſpiciemus; in tertia tandem ſectione ſigna morborum compoſitorum exemplis quibusdam declaraturi ſumus.

SECTIO I.

DE SIGNIS MORBORVM IN FLVIDIS HAERENTIVM.

§. 306.

Plethorae, tanquam abundantiae ſanguinis et humorum, generalius conſideratae, §. 28. praeſentia cognoſcitur ex appetitu bono et digeſtione facile ſuccedente; ex difficili ſanguinis tranſitu per pulmones, et inde poſt leues corporis animique commotiones orta difficultate ſpirandi; ex ingrato caloris ſenſu poſt potum ſpirituoſum, victum largius nutrientem et aromaticum; ex ſomno inſomniis turbato; ex cita delaſſatione poſt motum corporis ſuſceptum; ex ſudore poſt ſimiles cauſſas largius promanante.

§. 307.

Plethora vera ſanguinea §. 30. praeterea dignoſcitur ex bono corporis habitu, facie florida, aucto corporis exercitio rubicunda et tumente; ex pulſu forti et tardo, per cauſſas externas facile accelerando; ex reſpiratione libera et magna, motu corporis facile anheloſa; ex ſomno inquieto, aluo ſaepe ſicca et vrina ſaturata; ex facili iracundia; ex moliminibus crebrioribus ad haemorrhagias, aetati conuenientes; ex ſanguine, e vena miſſo, in placentam denſam et atram coeunte, cum ſuperficie rubicunda et pauco ſero.

§. 308.

Plethoram veram obeſam §. 30. adeſſe, cognoſcitur ex habitu corporis tumido et ſpongioſo, ob inſigne

insigne pinguedinis augmentum; ex facie florida, si obesitas adhuc cum euchymia coniuncta est; ex pulsu paruo et debili, ob arteriam mole pinguedinis onustam; ex respiratione, in corpore quiescente libera et plena, post quamlibet caussam motum sanguinis accelerantem anhelosa; ex somno profundo et stertoroso; ex sudore viscido, aluo et vrina varia; ex animi affectibus facile commotis, diu tamen non durantibus; ex impatientia frigoris et caloris; ex sanguine e vena misso viscido, non satis cohaerente.

§. 309.

Plethora imbecillium vniuersalis §. 31. perspicitur ex habitu corporis macilento, facie pallida, post leuem animi corporisque agitationem florida et rubicunda; ex pulsu debili facile accelerando; ex respiratione libera, post corporis animique agitationem anhelosa; ex somno inquieto, aluo varia et mutabili, mox sicca, mox liquida, vrina pallida; ex tremore membrorum et subsequente imbecillitate post quaelibet animi pathemata; ex impatientia frigoris et caloris; ex venis tumidis, in primis in extremitatibus, ex sanguine e vena misso, magna copia seri et pauco cruore rubicundo constante.

§. 310.

Reliquae plethorae spuriae species §. 31. 32. ex caussis plethorae in vniuersum §. 157 *sqq.* optime cognoscuntur, praecipue si simul proportionem solidorum et fluidorum vario modo mutatam in temperamentis attendimus §. 167 *sqq.* Inprimis vero plethora febrilis apparet ex dyscrasia humorum et motu sanguinis intestino inde aucto; ex pulsu forti et duro, cum celeritate coniuncto; ex fluidorum re-

 sistentia,

ſiſtentia, per quam flumen ſanguinis a corde crebrioribus ictibus et inde motu progreſſiuo aucto propellitur §. 72. 204. 205.

§. 311.

Et vacuitas vaſorum §. 33. ex cauſſis eam inducentibus euidenter patet, damnum vero inde ortum, ſi vel lente vel celeriter inducitur, ex pulſu debili, ſaepe inaequali et intermittente; ex doloribus capitis, ſpinae dorſi et artuum; ex tenſionibus neruorum ipſisque conuulſionibus; ex lipothymiis, ad ſyncopen vsque deductis, cognoſcitur. Vacuitatem cellularum laxus et macilentus corporis habitus prodit.

§. 312.

Cacochymiae adeo variantes in primis viis ex victus deprauati ratione deteguntur, etſi et reliqui diaetae errores ſimul reſpiciendi ſunt; in ſanguinis maſſa ab initio vix cognoſcitur, ſed tunc demum, cum ſanguis ex vena miſſus euidentiora dyſcraſiae ſigna praebet; in ſyſtemate autem ſeroſo lymphatico luculentiora habemus ſigna externa, ex habitu corporis vel tumido nimis vel flaccido, qui potiſſimum in facie et praecipue circa oculos et labia apparet; ex ſecretis humoribus, a ſtatu naturali recedentibus; ex languore vniuerſali in variis functionibus corporis, inprimis vitalibus, obſeruato.

§. 313.

Cacochymia aquoſa ſiue ſeroſa §. 38. quae cum inſigni humorum tenuitate coniuncta eſt, noſcitur ex macilento corporis ſtatu, facieque pallida; ex tumoribus oedematoſis, in pedibus praecipue facile oriun-

oriundis, mollibus; ex se et excretionibus serosis, primo auctis, postea suppressis; ex frigore partium, in primis extremitatum; ex debilitate corporis a succi nutritii gelatinosi defectu, vel minus apta applicatione; nec non a fluidi neruei incompleta actione in motibus vitalibus.

§. 314.

Cacochymia pituitosa §. 39. ex habitu corporis tumido, saepius non nihil renitente, interdum tamen molliori, quatenus solida vel firma vel relaxata sunt; ex facie pallida et tumente; ex pulsu molli et respiratione molesta, in primis in caussis concitatioris humorum motus; ex se et excretionibus serosis, viscidis et lentescentibus cum immeabilitate humorum; ex sudore viscido, aluo sicca cum excretione tenacis pituitae; ex collectione muci, praecipue in viis aëreis narium, faucium, pulmonum spectatur.

§. 315.

Cacochymia atrabilaria §. 40. cum lenta et picea quasi humorum tenacitate coniuncta, corporis habitum vt plurimum macilentum et rigidum, faciem praecipue rugis contractam efficit. Cognoscitur vero in primis ex pulsu tardo et duro, respiratione lenta; ex animi affectibus facile motis; ex sicco calore, per difficilem humorum elaborationem enato; ex se et excretionibus humorum serosorum parcioribus, in vehementiori humorum motu saepe prorsus suppressis, vnde sudor parcus, vrina saturata, aluus sicca sequitur; ex bile copiosa, spissa, atra, per varias caussas mota, valde noxia, non tantum abdominales, sed inde ortos spasmos vniuersales ex-

 citante;

citante; ex nutritionis defectu et difficili elaboratione lymphae et fluidi nerui, ex quo morbi cum phantasia laesa oriuntur. Si igitur, vt interdum fieri solet, acrimonia haec per caussas suas et in corporibus, ab initio bene nutritis, nascitur, nutritionem sensim laedit, et motus neruorum maxime irregulares reddit.

§. 316.

Cacochymia acida §. 42. alia in primis, alia vero in secundis viis exhibet praesentiae suae testimonia. In illis enim ructus acidi cum sapore acido, vel ipsis dentibus infenso; sitis nulla, vel exigua; appetitus ingens cum resolutione alimentorum celeri, torminibus ventris et borborygmis; faeces alui fuscae, in viridem saepius vergentes colorem; ab acido quolibet noxa et molestia aucta, leuamen vero ab antacidis salinis et terreis deprehenduntur, luculenta satis signa exhibent.

§. 317.

In secundis autem viis sequentia phaenomena acidam hanc acrimoniam praecipue declarant. Sudor largus, acidum spirans, cutis laxa, vrina stranguriosa, turbida, quasi lactescens, sedimentum saepe crassum deponens; sanguis ex vena missus sat floridus; obstructiones lentae, raro in inflammationem abeuntes; coagula lymphae, id quod exemplo infantum, quorum intumescit abdomen, declaratur; porro erosiones cutaneae, lentae, pallidae, vix vlcerosae.

§. 318.

Cacochymia muriatica §. 43. quae in corpore animali saepius ammoniacalis fit, ex siti ingenti cum siccita-

ſiccitate oris ſaporeque ſalſo dignoſcitur. Obſeruantur praeterea ſiccitas cutis, eroſiones cutaneae rubrae, poſt largum ſudorem vehementer prurientes, vrina ſpiſſa, acris, lente putreſcens, ſuperficie eius apparenter oleoſa, ex ſpiculis ſalinis coactis et ſplendentibus conſtante. Remedium ab aquoſis peti poteſt.

§. 319.

Cacochymia alcalina volatilis §. 44. ex ſiti inſigni, cum ſapore putrido, vrinoſo, foetore oris ingrato, cadaueroſo et proſtratione appetitus, in primis cum nauſea carnium coniuncta, intelligitur. Faeces aluinae minus cohaerentes ſunt, foetidiſſimae, ſplendeſcentes, ex fuſco nigricantes; ſiccitas continua in variis organis ſecretoriis ſeroſis; eroſiones cutaneae, cineritiae, vel nigrae, facile proſerpentes, gangraenoſae; inflammationes faciles, eaedemque ad gangraenam et ſphacelum procliues; vrina craſſa ſpumeſcens, vix excreta putreſcens; ſanguis ex vena miſſus vix concreſcens, in putredinem procliuis. Iuuant ſola acida.

§. 320.

Cacochymia bilioſa §. 45. quae ad oleoſam rancidam inclinat, ex ſiti vehementi, clamoſa, ſiccitate oris, lingua arida fiſſa, vel muco tenaci obducta, ſapore amaro, rancido, ructibus nidoroſis, faſtidio ciborum, in primis pinguium et iurulentorum, dignoſcitur. Faeces alui ſimul eſſe ſolent ſplendeſcentes, feruidae, foetidiſſimae, cutis arida, eroſionibus cineritiis et nigris foeda, vrina parca feruida, foetens, colore obſcuro rubicundo, cruor e vena miſſus nigricans, ſpiſſus; accedunt inflammationes celeres, peſſimae indolis, ſerpentes, deſtructoriae. Omne

pingue in primis exuſtum laedit. Opponi poſſunt aquoſa, ſaponacea, acida.

§. 321.

Cacochymiae ſpecificae, ex cauſſis ſingularibus natae, et in corpore animali vlterius euolutae §. 46. ſubtiliſatae, halituoſae indeque contagioſae, maxime obſcurae ſunt. Hae cum nec ex origine, nec ex indole ſingulari ſatis pateant, ideoque ex cauſſis parum cognoſci poſſint, medicum ad ſymptomata reſpicere iubent, quae in progreſſu morbi animaduertuntur, et ſaepe ſatis conſtantia ſunt, vt in lue venerea, variolis et purpura, ex progreſſu conſueto horum morborum apparet. Cum autem, ob vitae genus et idioſyncraſiam naturalem morboſamque, ſaepe etiam variam medendi rationem, ſymptomata haud raro varient, ſingularem merentur attentionem medicorum, quibus non raro fraudi ſunt.

§. 322.

Vti in omnibus et ſimplicioribus et compoſitis cacochymiis, et praecipue in ſubtiliſatis contagioſis, repetitum cauſſarum et ſymptomatum examen, nec non concluſiones ex variis morborum hiſtoriis petitae, ſigna quodammodo certa continent, ſic etiam nocentia et iuuantia, in victu et reliquo diaetae regimine, nec non in medicamentis eadem magis confirmant. Cum autem vera mixtionis ratio, ex qua fluidorum vitia declaranda ſunt, nunquam inueniatur, definitio ſignorum accurata locum non habet.

)o(

SECTIO

SECTIO II.

DE SIGNIS MORBORVM IN SOLIDIS HAERENTIVM.

§. 323.

Ex fluidis, ad minimas fibras ductis, incrementa ac robur accipiunt solida, ideoque et vitia fluidorum cum solidis communicantur. Cum autem haec mutatio in minimis particulis indaganda esset, in quibus mixtionis et appositionis ratio non recte declarari potest, §. 48. cohaesionis et nisus particularum signa in effectibus fibrae laxae et rigidae debilis et strictae inquisituri, vnitatisque solutae signa generalia subiuncturi sumus.

§. 324.

Laxitas vniuersi corporis et partium §. 51. ex habitu corporis flaccido et succulento, mollique carne; ex inertia motus muscularis et lassitudine cito inducta; ex pulsu molli ac debili et respiratione facile anhelosa; ex sanguine e vena misso tenui, sero et pituita abundante; ex secretionibus serosis profusis, sudore largo viscido, vrina tenui subturbida; ex aluo laxa et humida cognoscitur.

§. 325.

Rigiditatem e contrario §. 52. indicat habitus corporis siccior, caro densa, pinguedo parca interspersa; difficilis membrorum motus, et tremor post exercitationem corporis validam, articulorum motorum crepitus; pulsus fortis, non nihil durus et tardus, respiratio lenta; secretiones serosae parcio-

res; imbecillitas poſt validos ſudores, et aluus ſicca ac tarda *).

*) „Cum interdum in rigido corpore quaedam partes „ex cauſſis particularibus relaxentur, et in laxioribus „aliae obrigeſcant, ſigna vniuerſalia et partialia di„ſtinguenda ſunt, v. c. in laxitate inteſtinorum par„tiali, vel in rigiditate articulorum motu nimio exer„citatorum.

§. 326.

Debilitatem §. 53. ſuſpicari licet ex actionum vniuerſalium et particularium languore in laxis aeque ac rigidis corporibus §. 56. praecipue poſt cauſſas plus minus graues, in alimentorum item et medicamentorum ingeſtione et applicatione, ac animi et corporis exercitatione nimia cernitur. Pulſus celer et mollis. Motus muſcularis, ab initio ſatis magnus, diu continuari nequit, ſed tremores ſequuntur et cita laſſitudo; viſcerum variorum functiones languide perficiuntur; oculorum obnubilatio, ſuſurrus aurium, memoriae laeſio et aliae ſenſuum externorum imbecillitates percipiuntur.

§. 327.

Haec et alia in ſanis ſaepe imbecillis debilitatis vniuerſalis ſigna offerunt, quae in his quoque cauſſis morboſis accedentibus magis conſpicua ſunt. In progreſſu vero morborum, praecipue ex cauſſa venenata et contagioſa ortorum, celeris virium proſtratio ſuccedit, quae non tantum animales, naturales et ſexus actiones, ſed vitales ſaepe tangit et deprimit, hinc lipothymiae inducuntur §. 201 *ſqq.* genua vacillant, ſudor frigidus prorumpit, deliria, tremor labii inferioris et alia malignitatis ſigna ex imbecillitate vniuerſi ſyſtematis neruoſi proueniunt.

§. 328.

§. 328.

Laxis aeque ac rigidis corporibus ſtrictura ſpaſtica fibrarum et partium inde compoſitarum §. 54. 57. accidit, in his pulſus durus eſt, ſaepe tardus, interdum tamen celer; muſculoſae potiſſimum partes violentam et inuoluntariam contractionem patiuntur, quae tremore, dolore et tenſione ſe prodit, hinc v.c. ſtridor dentium in acutis febribus obſeruatur. Simile quid in minimis vaſis, in quibus fabrica muſcularis ferme euaneſcit, cognoſcitur. Formicationis ſenſus et ſpaſmum et praecedit, comitatur, et ſequitur. Dolor acutus, ſine ſignis febris et inflammationis, contractiones internas ſpaſticas declarat, ſaepe tamen ex his febres et inflammationes mouentur, cum liber circulus humorum impediatur.

§. 329.

Vnitas ſoluta §. 58. in fibris et vaſculis minimis, ex puſtulis, vlceribus et eroſionibus, ingrato ſaepe cum pruritu enatis, cognoſcitur, ex his autem humor acer, rodens emittitur. In compoſitis partibus maxima eſt varietas laeſionis continui, quam in ſequenti ſectione ex vulneris et vlceris ſignis declarabimus.

SECTIO

SECTIO III.

DE SIGNIS MORBORVM COMPOSITORVM.

§. 330.

Cum in praesenti tractatione ad omnes morbos compositos excurrere nequeamus, de febris tantum, obstructionis lentae pituitosae et inflammationis, nec non vulneris et vlceris signis generalibus speciminis loco exposituri sumus, quo inde ratio pateat, qua in variis et specialioribus morbis ad praesentis status considerationem ducamur; id quod in his quidem morbis apte satis fieri poterit, cum plurimi alii ad hos, tanquam generales referantur.

§. 331.

Febris §. 72. 204. 205. in motu sanguinis celeriore cum languore corporis inest, et ex his signis praecipue cognoscitur. Reliqua vero symptomata, in progressu morbi obseruata, vt signa frequentiora addi possunt, horror cum calore, dolor capitis et anxietas praecordiorum, a motu sanguinis, et in vniuerso corpore et in his partibus quodammodo retardato et difficulter progrediente; porro siccitas cutis et oris, et inde nata sitis, quoniam secretio in minimis vasis impeditur, qua per calorem restituta sudor et vrina varia succedunt. Aucta febre alia symptomata accedunt, v. c. nausea, agrypnia, deliria cet.

§. 332.

Obstructio lenta §. 74. 206. ex tumore partium, plus minus molli vel duro, sine euidenti febrili motu apparet. Oedema, tumores cystici, scirrhi in exami-

examine ſpeciali varia ſigna exhibent. In generali vero disquiſitione ad differentiam fabricae partium in ſtatu naturali, ad ambitum tumoris, ad materiam in obſtructo loco haerentem, ſanam adhuc vel a morbo mutatam, ibi natam vel aliunde deriuatam, fixam vel mobilem, reſpiciendum eſt, quo hi tumores, frigidi vulgo dicti, accuratius iudicari poſſint.

§. 333.

Obſtructionem inflammatoriam §. 74. 75. etiam tumor, ſed durus et renitens, indicat, dolor et pulſatio in parte affecta praecipue quidem conſpicitur; cum autem febris vt morbus vniuerſalis inde excitetur, pulſus celer et fortis, et ob ſummam reſiſtentiam et ſpaſmum durus quoque eſt. In externis inflammationibus rubor tumoris vt ſignum ſanguinis ſtagnantis apparet; in internis autem partibus dolor fixus et auctus, cum febre acuta certa inflammationis ſigna praebet, cum ille ſpaſmum, haec vero celerem ſanguinis motum exhibeat, quibus praeſentibus inflammationis geneſis et augmentum declaratur.

§. 334.

Vulnera §. 70. eorumque ſigna ex differentia partium laeſarum diuerſimode diiudicantur. Externas partes tantum inſpicere ſufficit; ſi vero altius penetrant, inſtrumenti laedentis figura et moles, ſpecilla chirurgica et cognitio partium anatomica disquirentem iuuat. Internorum vulnerum ſigna ex laeſis partium functionibus, et effluxu fluidorum contentorum deſumuntur. Fracturae oſſium, oculis non ſemper patentes, tactu disquiruntur; motus membri et ſaepe quidem cum dolore impeditus, eminentiae et loca depreſſa, aſpritudinis ſenſus non ſolum

lum tactu, sed auditu quoque perceptus, praecipua sunt signa, quibus ossa fracta cognoscuntur.

§. 335.

Vlcera etiam vulnera sunt §. 79. sed impura, non tantum rebus laedentibus externe illatis et relictis, sed affluxu humorum acrium inquinata et mutata. Amplitudo et sinus vlcerum inspectione, specillis chirurgicis, accurata partium cognitione anatomica adiutis, deteguntur. Humor effluens purulentus, saniosus, plus minus foetens, indolem vlceris declarant; color in specillis argenteis, puluillis et emplastris nigricans praecipue ichorosam corruptionem auctam ostendit. Vlcera ossium cariosa foetore specifico dignoscuntur. Vlcera partium internarum, v. c. pulmonum, renum, vesicae, ex liquoribus excretis, resorptio puris et saniei in his saepe accidens ex febre lenta diiudicatur.

CAPVT IV.
DE SIGNIS MORBORVM PROGNOSTICIS.

§. 336.

Signa diagnostica, cum anamnesticis comparata, futurum morbi statum et mutationes eius indicant. Vti enim ex caussis variis dispositio praeternaturalis, actiones laedens, hoc est, morbus §. 10. inducitur, sic ex actionibus, vel laesis, vel abolitis, vel persistentibus, mala vel bona futuri status indicia siue signa prognostica colliguntur. Quae quidem doctrina in hoc capite ex actionibus vitalibus, animalibus et naturalibus potissimum proponitur et exemplis illustratur.

SECTIO

SECTIO I.
DE SIGNIS EX ACTIONIBVS VITALIBVS.

§. 337.

Circulatio ſanguinis eiusque indolem declarans cordis et arteriarum pulſus, nec non reſpiratio hic potiſſimum in cenſum veniunt. Sunt hae primariae actiones, quibus reliquae, in corpore perficiendae, excitantur et diriguntur, ideoque virium vitae rationem, augmentum et decrementum, et ſimul materiae morbi reſiſtentiam indicant. Hae praecipue examinandae ſunt, cum ſine earum vera disquiſitione morbi nec accurate diiudicari, nec in ſuis mutationibus dirigi poſſint.

SVBSECTIO I.
DE PVLSV VT SIGNO.

§. 338.

Licet pulſus indolem tantum in arteriis disquiramus, inde tamen ad vniuerſam circulationem ſanguinis et ex parte ad aliorum quoque humorum, ex cruore prodeuntium, motum concludimus. Fabrica igitur partium, cor componentium, diſpoſitio eius vniuerſa et vis, ſanguinem propellens, porro natura et indoles ſanguinis ipſius, tandemque conſtitutio arteriarum, ſanguinem ad extremos apices propellentium, et impedimenta, quae progreſſui ad venas et cor ſe opponunt, accurata pulſus obſeruatione cognoſcuntur.

§. 339.

§. 339.

Pulſum in morbis inueſtigaturus, eumdem in ſanis hominibus accurate diiudicare diſcat, *Phyſiol.* §. 207, quo differentias, et aetatibus variis, et temperamentis, aliisque vitae et ſanitatis mutationibus proprias, bene diſtinguat, antequam morboſam corporis conditionem inde diiudicet. Sub ipſo autem examine arteriam in carpo, vel aliam, disquiſitioni aptam, non nimium premat, ſed eidem blande et ſucceſſiue digitos applicet, et attente et iterato affectiones pulſus eiusque mutationes examinet. Sunt etiam morbi, v. c. polypus cordis, in quibus pulſum pluribus in locis ſimul attendere expedit.

§. 340.

In pulſuum affectionibus et differentiis disquirendis primo ad impetum eius reſpiciat medicus, fortisne ſit, an debilis, magnus, an paruus, durus, an mollis. Qua quidem re perſpecta, ratione velocitatis celerem et tardum disquirat pulſum, tandem interualla inter ſingulos arteriarum ictus, quo modo hi inter ſe inuicem collati ſe habeant, probe examinet, et ita aequalem, vel inaequalem, tandemque intermittentem diiudicet. Hae enim differentiae primariae ſunt, quae circulationem ſanguinis in morbis diuerſam definiunt.

§. 341.

Pulſus fortis eſt, qui in digitum appoſitum viribus corporis naturalibus conuenienter impingit; e contrario debilis dicitur, qui impetu, viribus corporis minus conueniente, digitum ferit, ſed aegre et poſt validam demum arteriae compreſſionem ſentitur. Vehemens et exilis pulſus, qui ab aliis diſtinguuntur, a forti et debili non differre videntur.

§. 342.

§. 342.

Fortis pulſus vitae vigorem indicat, ſcilicet fluidum nerueum conſtanter, et copioſe ſatis in fibras cordis et arteriarum agere, cor proinde valide contrahi, et arterias a ſanguine impulſo diſtentas valide iterum ſe contrahere, ſanguinem vlterius promouere, cruoremque propterea copioſum ſatis eſſe, et vt plurimum bonae mixtionis, in quo humorum circulantium ſtatu omnes ſecretiones et elaborationes rite fieri poſſe intelligimus.

§. 343.

Debilis pulſus contrarium indicat. Pendet enim a debili et parciore fluidi neruei influxu, hinc actionem cordis et arteriarum in ſanguinem et humores imbecillem, nec non defectum ſanguinis poſt magnas haemorrhagias declarat, quibus omnibus vires vitae valde infringuntur. Obeſi vt plurimum ob copioſam pinguedinem, circa arteriam poſitam, licet de reliquo ſani ſint, debilem pulſum habent.

§. 344.

Fortis itaque pulſus ſemper bonus eſt, et in primis talis vel in ipſis morbis iudicatur, ſi criſeos tempore accedente ex debili inſurgit; e contrario autem debilis, ex forti factus, vires naturae deficientes, nec morbi impetum ſuperantes oſtendit. Fortis quoque pulſus in ſoporoſis morbis ſaepius bonus eſt, ſi augmentum febris moderatum ſimul obſeruatur: interdum tamen fallit, ſi obſtructio in neruis tanta eſt, vt ſuperari nequeat. Debilis pulſus in morbis acutis interdum lentam morbi reſolutionem indicat, dum modo materia morbi non adeo maligna deprehendatur.

§. 345.

Pulſus magnus et paruus a praecedentibus parum differunt, et cum pleno, qui et vndoſus dici poſſet, et vacuo non nullorum auctorum omnino conueniunt. Vbi enim copia ſanguinis et libera vbique eius via eſt, viresque mouentes non deficiunt, ibi magno volumine extenditur arteria: his omnibus vero deficientibus, eadem parum eleuatur. Quamquam enim non nulli ad diametrum arteriae, non vero ad eiusdem vim in hoc pulſu definiendo reſpiciunt, copia tamen ſanguinis ſola ſine viribus cordis arteriam non diſtendit. Hinc, quando ex pulſu forti felicem morborum euentum auguramur, illum et magnum dicere poſſumus, et plenum, auctis quaſi vndis ſanguinem appulſum in arteria facile dilatanda percipientes; contrarium autem iudicium formamus de pulſu vix digitis percipiendo.

§. 346.

Pulſus, qui cum ſtrictura aliqua arteriarum ſpaſtica fit, fortis adhuc dici poſſet, licet iam aliquam duritiem exprimat; hic, ſi in variis morborum praecipue acutorum mutationibus percipitur, ſpaſticus et contractus dici ſolet. Quando itaque morbi vis increſcit, omnino in durum tranſit, humoribus vero iam ad coctionem et criſin diſpoſitis, transitorius tantum eſt, et materia morbi iam ad criſin diſpoſita et ſatis mobili facta, vel ſpaſmo per auxilia medentis correcto, ceſſat; libera ergo reſtituitur circulatio, et pulſus magnus et plenus redditur.

§. 347.

Pulſus durus, quamquam validus, a praecedentibus tamen differre videtur, quoniam arteria cum

maiore

maiore renisu mouetur, et aegre quidem extenditur iterumque contrahitur. Hinc ostendit arteriam immobilem, saepius osseam in senibus, vel interdum in tunicis suis inflammatam; obstructionem etiam inflammatoriam in arteriis minimis, valide ideo resistentibus; cruorem spissum, coagulatum, non tam pituitosum, sed magis inflammatorium. Mollis cum debili §. 343. multum conuenit, et assumitur plerumque in pulmonum obstructione inflammatoria, vbi sanguis ad ventriculum cordis sinistrum aegre et parciore copia reuehitur, ideoque arterias inde continuatas parum extendit.

§. 348.

In hominibus sanis intra datum tempus certo modo definitus, licet in variis varius, pulsuum numerus obseruatur; magis tamen in morbis attenditur, si pro indole aegri maior copia pulsuum, quam in statu sano, intra certum tempus, animaduertitur, tunc enim celer appellatur; si vero intra finitum tempus pauciores pulsus numerantur, tardus dicitur. Similis ratio et frequentis, et rari esse videtur. Licet enim aliis celer dicatur, vbi ipsi ictus celeres et interualla maiora sunt, et frequens, vbi ictus longiores, sed interualla minora sunt, differentia tamen magis in compositione celeris ac fortis, ac celeris et debilis posita esse videtur.

§. 349.

Celer itaque vel frequens, vel velox pulsus febrim indicat, in qua fluidum nerueum agitatum, et ob varias caussas copiosius in cor influens, hoc ita vrget, vt crebriore contractione contra tensiones spasticas et non nunquam inflammatorias obstructiones

 nes

nes in extremis arteriarum nitatur *). Tardus vero, rarus et lentus pulſus, niſi ex naturali indole corporum pendeat, defectum virium, cor et arterias mouentium, deſignat. Fortis et tardus arteriam ab irritatione et ſpaſmo liberam declarat.

*) „Num acrimonia ſanguinis male mixti irritationem „cordis efficiat, dubium eſt. Nobis non ita videtur, „cum acrimoniae vis in aggregato humore ſe non exſerat.

§. 350.

Pulſus aequalis, tum ratione interuallorum, tum ratione roboris ſingulorum ictuum, talis dicitur, ſi nempe, cum ictus arteriae numeramus, impulſus et interualla ſibi ſimilia deprehendimus, ita, vt vigor vnius ictus arteriae cum vigore praecedentium et ſequentium accurate conueniat, et interualla inter ſingulos pulſus ſemper idem ſpatium temporis teneant. Inaequalis igitur pulſus ex vtraque conditione contraria aeſtimandus erit. Intermittens vero ille dicitur, vbi numerando ictus vnum vel alterum deficere animaduertimus, ita, vt arteria in eo momento, quo agere deberet, prorſus quieſcat. Sic in diiudicando pulſu intermittente, vel quartum, vel ſeptimum, vel alium ictum non nunquam intermittere experimur.

§. 351.

Aequalis itaque pulſus et aequalem et regularem fluidi neruei in fibras cordis et arteriarum, et ſanguinis in vaſa continuata, influxum indicat, ideoque ſemper boni praeſagii eſt. Inaequalis vero et intermittens vires has mouentes irregulari impetu agere declarat, hinc mali praeſagii eſt. Vterque non raro

raro polypum maiorem in corde vel vafis, vel etiam aneuryfma declarat. Sed et in his faepius difpofitio aliqua fingularis, organis circulationis lente inducta, alia praedicere iubet: v. c. gibbofi, quibus fpina dorfi diftorta eft, vel fenes, quibus valuulae cordis, vel arteriae offefcere incipiunt, cùm pulfu tali intermittente diu fatis viuere et de reliquo valere poffunt.

§. 352.

Ex hac quidem pulfuum propofita differentia medicus vitam praefentem, ftatum morbi eiusque mutationes et exitum diiudicare poteft; nec eorum fubtiliori definitione et diftinctione, quae non tantum difcentes, fed accuratos faepius obferuatores confundit, opus effe videtur. Cum vero non ex vna, fed ex omnibus collectis, pulfus conditionibus iudicium ferendum fit, exercitatus tandem medicus ita concludit: Quo plures funt bonae pulfus affectiones, eo magis vita viget, et morbus fuperari poteft; quo plures vero funt malae affectiones, eo magis depreffae vel incitatae funt vitae vires, ideoque exitus morbi ambiguus eft, ac aeger de vita periclitatur.

§. 353.

Singulares pulfuum mutationes, quae in validis morborum mutationibus, v. c. perturbationibus criticis, vel crifi accedente, vel morte imminente, occurrunt, non fatis definiri poffunt. Sic dicroti, ferrati, myuri et caprizantes pulfus non nifi inconftantes et irregulares influxus fluidi neruei in cordis et arteriarum fibras, et fimul motum fanguinis progreffuum perturbatum indicant. Si igitur medicus has

differentias ad priores a nobis explicatas referre nequit, iudicium ex pulſu eo vsque ſuſpendat, donec vel regulares impulſus iterum percipiat, vel vita ipſa ſub his motibus irregularibus cum morte commutetur.

§. 354.

Calor vel attritu globulorum ſanguinis inter ſe et ad latera canalium, vel potius attritu particularum globulos componentium, et motu inteſtino euolutarum, inter ſe generatur *Phyſiol.* §. 190. 208 *ſqq.* Cum autem naturalis corporis calor ab aequali motus inteſtini et progreſſiui exercitio, auctus autem et imminutus, ex his vario modo intenſis et impeditis oriatur, ad pulſus differentias omnis calor eiusque augmentum vel decrementum referendus, et ex his ſignis diiudicandus eſt; ſequentia tamen ſigna generalia quoque attendi poſſunt, quoniam caloris et frigoris rationem definiunt.

§. 355.

Frigus vniuerſale et languorem ſolidorum, et ſeroſam aut pituitoſam humorum cacochymiam, ideoque lentos morbos indicat, vel ad eos disponit. Horror et frigus in corpore, quod ſanum videtur, ſubito oriundum, ſpaſticam vaſorum minimorum reſiſtentiam et calorem a vi cordis mox excitandum prodit, ita vt pulſus, frigore in extremis adhuc percepto, celerior et fortior eſſe incipiat, et calore aucto intendatur, ſanguine ſatis reſoluto, et ſpaſmo in minimis vaſis ceſſante, naturalis eius circulus reſtituatur; ſi vero reſiſtentia ſuperari nequit, calor ita intenditur, vt reſolutio humorum vniuerſalis inflammatoria ſequatur, et ſanguis coactus in parte ſubſiſtat, varia ratione ibi mutandus §. 74 *ſqq.*

§. 356.

§. 356.

Si calor cum pulſu debili et decremento virium increſcit, motu humorum inteſtino aucto et progreſſiuo non reſpondente, putrida reſolutio ſuccedit; haec aucto calore corporis et ardoris ſenſu, manibus tangentis impreſſo et quaſi permanente, cognoſcitur. Quod ſi igitur in graui morbo calor in interioribus et frigus in exterioribus corporis partibus obſeruetur, compagem minimorum ſolidorum et mixtionem fluidorum plane ſolutam deſtructamque eſſe auguramur. Spaſmo per mortem ſoluto, ſaepius in extremitatibus calor redit, et ſanguis motu inteſtino agitatur, et quaſi feruidus ad extrema ſe diffundit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

SVBSECTIO II.

DE RESPIRATIONE VT SIGNO.

§. 357.

Non ſolum vero pulſus, ſed et reſpiratio circulationis ſanguinis et humorum rationem indicat; pulmo enim intra breue temporis ſpatium magnam ſanguinis copiam tranſmittit, et immediato nexu cum cordis, tanquam motoris principis, cauis coniungitur, ideoque in morbis variis acutis et chronicis diiudicandis medicum attentum inſtruit; nominatim etiam in thoracis et abdominis morbis ſigna egregia exhibet, cum actio diaphragmatis, vtramque cauitatem diſtinguentis, in reſpiratione perficienda adeo neceſſaria ſit, et mutationum variarum indicia praebeat.

 §. 358.

§. 358.

Reſpirationis indolem et diuerſas inde in morbis mutationes diiudicaturus, non tantum thoracis cauitatem, ex vertebris, coſtis et ſterno mire compoſitam, et variis muſculoſis ſtratis circumductam, ſed et pulmonum fabricam et ſitum, cum trachea et larynge, nexumque thoracis cum abdomine in ſano ſtatu cognoſcat; praeterea quoque conformationem, quibusdam hominibus ſingularem, aeris indolem, abdominalia viſcera, diuerſo modo diſpoſita, et inſuper etiam animi affectus concitatos et alia conſideret, quibus reſpirationem in ſanis etiam hominibus turbari experimur.

§. 359.

Reſpiratio autem potiſſimum ratione impetus et virium conſideranda eſt, vbi vel partes, reſpirationi vitali inſeruientes, *Phyſiol.* §. 440. motu ſuo aucto, vel imminuto, fortem vel debilem reſpirationem ſiſtunt, quarum illam plenam, magnam et profundam quoque, hanc vacuam quaſi paruamque dicimus. Si vero partes, violentae reſpirationi dicatas, *Phyſiol.* §. 441. in vehementem ſimul motum deduci perſpicimus, altam, ſublimem et ſuffocatiuam illam appellamus. Porro ratione velocitatis, vel celerem et frequentem, vel lentam et raram diſtinguimus; tandem ratione menſurae interuallorum aequalem, inaequalem et intermittentem attendimus, et ex his omnibus maximam inter pulſus et reſpirationem conuenientiam declaramus.

§. 360.

Reſpiratio in corpore etiam aegroto, ex ratione virium corporis ſani, blande et aequaliter ſuccedens, boni

boni ominis eſt: ea vero interdum intenditur, et in progreſſu in et exſpirationis maiorem pectoris eleuationem et depreſſionem oſtendit, tumque fortis, magna, plena et profunda appellatur. Si vero inſpirationem vix inceptam iam excipit exſpiratio, tunc debilis, parua et vacua dicitur. Licet enim et in his aliqua differentia indicari queat, ea tamen in morborum ſignis eruendis non niſi gradu definiri poterit.

§. 361.

Sic etiam reſpirationem altam et ſublimem vno quaſi modo fieri perſpicitur. Si nimirum pectus plurium muſculorum niſu eleuatur, quo tanta copia aeris, quae pulmonibus diſtendendis par ſit, intret, eosque expandat, ideoque contra inſignes reſiſtentias, in pectore obuias, nitatur: ea reſpiratio, difficilius peracta, alta et ſublimis dicitur, quae quaſi in ſupremo tantum pectore abſoluitur, atque continuum ſuffocationis metum, aerisque impoſſibilem ferme ingreſſum indicat, et ideo quoque in vehementiori gradu anheloſa, ſtertoroſa et ſuffocatiua appellatur.

§. 362.

Reſpiratio itaque fortis, magna, plena et profunda, vires vitae bonas, ſanguinem vel expedite ſatis, vel auctis quodam modo viribus per pulmones meabilem, pulmones ad ſanguinem et aerem ſuſcipiendum aptos atque dilatabiles, cauitates thoracis et abdominis, per ſuas cauſſas facile ampliandas, diaphragma liberum, ideoque morbum viribus his ſuperandum, indicat. Debilis, parua et vacua vero vires vitae depreſſas, ſanguinem minus mobilem, ſpiſ-

ſum, inflammatorium, reſiſtentem, pulmones non dilatabiles, morboſa materia, vel infarctu in cauo tracheae et bronchiorum obſeſſos, organa reliqua reſpirationis laeſa et morbum difficile ſuperandum oſtendit.

§. 363.

Alta itaque et ſublimis reſpiratio, quae cum intenſo plurium organorum motu, et cum ſibilo ſtertoroſo et roncho perficitur, peſſimam pulmonum indolem, v. c. deſtructionem purulentam, ſcirrhoſam obſtructionem, difficilem cruoris tranſitum, ſanguinem reſolutum in pulmones delatum, ideoque vt plurimum lethalem morbi exitum indicat. Si talis ex ſpaſmo oritur, vt in hyſtericis, ſpaſmo per conuenientia remedia ſoluto, bona redit, nec adeo mali ominis eſt. Quae longa conſuetudine tolerata ex peruerſa thoracis diſpoſitione talis eſt, licet de reliquo moleſta ſit, diu tamen cum aliquo corporis vigore adeſſe poteſt.

§. 364.

Intra definitum tempus in homine ſano et quieto reſpirationum, hoc eſt, in et exſpirationis actuum, certus numerus abſoluitur, qui tamen et ex voluntate hominis, et pro differentia cauſſarum concurrentium, vel augeri, vel imminui poteſt; ſi tamen in quieto aegroto per cauſſas internas numerus reſpirationum augetur, vel imminuitur, in priori caſu reſpiratio celeris et frequens, in altero lenta et rara dicitur. Differentia inter celerem et frequentem reſpirationem talis aſſumi poſſet, qualem de pulſu §. 348. indicauimus, ſed ſubtilioris huius diſtinctionis vix vſus eſſe videtur in praxi.

§. 365.

§. 365.

Celeris et frequens reſpiratio, magnam copiam ſanguinis intra tempus ſolito breuius per pulmones moueri, denotat; ſi itaque ſine magna moleſtia perficitur, boni ominis eſt; ſi vero ſimul anheloſa et ſtertoroſa apparet, peſſimam humorum, per pulmones mouendorum, aut ipſius huius viſceris indolem declarat. Sic lenta et rara quoque, nec moleſta, pulmones facile dilatabiles, organa reliqua reſpirationis libera, et cruorem ſatis mobilem indicat; ſi vero cum frigore extremorum aliisque debilitatis vniuerſalis ſignis occurrit, peſſimam morbi indolem ſignificat.

§. 366.

Si in toto reſpirationis actu perficiendo et in et exſpiratio intra definitum tempus abſoluitur, et interualla vtriusque in variis reſpirationis actibus ſimilia deprehenduntur, tunc aequalis dicitur reſpiratio; inaequalis vero eſt, vbi vel inſpirationi non reſpondet exſpiratio, vel interualla inter varias reſpirationes diſſimilia ſunt. Intermittens eſt, vbi vel reſpiratio diu non percipitur, vt in lipothymicis, vel vbi in agone mortis diu ſaepius quieſcit, et interdum vno vel altero impetu reuertitur.

§. 367.

Aequalis reſpiratio, aequales motus ſanguinis et aeris, in pulmones delati, ideoque vires vitae bonas ac organorum ſtructuram aptam indicat, et ſemper bona iudicatur. Inaequalis, quae contraria denotat, ideo peſſima dicenda eſt: attamen in validis febrium paroxyſmis et bona coctione, in primis criſi morborum appropinquante, aliqua exceptio concedenda eſt,

quoni-

quoniam immutata ſanguinis mixtio ipſius quoque motum, et ideo etiam reſpirationem turbat. In gibboſa quoque vel in alia organorum reſpirationis deprauata conformatione, aut laeſione, quae in conſuetudinem abiit, inaequalis, interdum etiam intermittens, ſine magno incommodo fertur; vt plurimum tamen in chronicis et magis in acutis morbis mali ominis eſt.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

SECTIO II.

DE ACTIONIBVS ANIMALIBVS VT SIGNIS CONSIDERATIS.

§. 368.

Actiones animales in ſenſu, motu, et ſomno, ex his potiſſimum declarando, poſitae ſunt; vti itaque vigor ſenſus et motus vigorem corporis totius declarat, ſic horum imbecillitas, in genere conſiderata, parum boni praenunciat. Sed hic quoque ratione actionum partialium quaedam exceptio ſaepe locum habet, cum v. c. ii, qui viſus debilitate laborant, de reliquo valida ſanitate frui poſſint. Nos quidem hac in re pertractanda non nulla phaenomena colligimus, eaque ad indolem et mutationem morborum declarandam applicamus.

§. 369.

Laſſitudines ſpontaneae morbos praenuntiant, cum imbecillitas motus, vel ex fluidi neruei defectu, eiusque minus promta actione, vel ex difficili ſanguinis tranſitu per vaſa muſculorum pendeat. Sic morborum vniuerſalium, praecipue febrium, acceſ-

ſum

ſum grauatiuus ſenſus corporis indicat. Proſtratio etiam virium cum iis ſaepe coniuncta eſt; quae, licet morborum cauſſas et ſymptomata, diu in corpore ſaeuientia, ſequatur, tamen, ſi mox in principio morborum ingredientium obſeruatur, malignitatem morbi declarat, §. 327. quod praecipue in epidemicis obſeruamus.

§. 370.

Facilis itaque membrorum motus in morbis quibuslibet boni ominis eſt, et in primis felicem morbi progreſſum auguramur, ſi aegri erecto capite ſedere poſſunt; peior autem ſtatus eſt, ſi aegroti corpus et in primis caput ſuſtinere nequeunt, ſi membra leuiſſime mota vacillant et tremunt, et decumbentes melius ſe habent, quam erecti. Haec cuncta tamen in morborum catarrhalium decurſu mitius iudicium ferre iubent, praeſertim, ſi aegri iam antea viribus infirmi fuerint: metum tamen excitant, ne tales quoque morbi diutius trahantur.

§. 371.

Spaſmi et conuulſiones, morbis grauioribus ſuperuenientes, vehementiam eorum, ſcilicet acrimoniam ac ſubtilitatem miaſmatis morboſi, et ſatis validam ſolidorum reſiſtentiam indicant. Si tempore cruditatis et coctionis occurrunt, vt plurimum peiora cuncta pronunciant; interdum tamen materiam ſubtilem neruis inhaerentem excutiunt: in criſi itaque inprimis metaſtatica, v. c. in exanthematibus, non raro ſeparationem et excretionem materiae morboſae iuuant. In infantibus, vtpote quibus genus neruorum mobile adhuc eſt, motus conuulſiui non tam mali ominis ſunt, quam in adultis et robuſtio-

buſtioribus corporibus, praeſertim ſi cauſſam, morbum excitantem vel exaſperantem, in primis viis deprehendimus.

§. 372.

Senſuum internorum et externorum conſtantia in morbis bonum ſignum eſt: deliria vero et obnubilationes eorum vehementes morbi impetus declarant. Deliria, ex inſomniis nata, ſi de reliquo mens aegri ſibi conſtat, vix metum adferre poſſunt. Deliria continua, cum ſignis inflammationis coniuncta, eaque ferocia peſſimum morbi ſtatum praenunciant, moderata vero in paroxyſmis vehementioribus febrilibus difficilem quidem morbum, non tamen ſemper lethalem, indicant. Delirium ſine febre, in morbis oriundum, aut melancholicum aut maniacum, inſignem morbi pertinaciam denotat. Si delirium febrile, febre euaneſcente, perſiſtit, peſſimum eſt ſignum, quodſi tunc flocculos in lecto legunt, muſcasque captant aegroti, mortis ſaepe imminet periculum.

§. 373.

Oculorum hebetudo, tanquam ſymptoma, in morbis ſine euidenti laeſione organi viſus conſiderata, in validis febribus debilitatem ſaepius vniuerſalem, in hypochondriacis et hyſtericis affectibus vehementem paroxyſmorum inſultum declarat. Palpebrae demiſſae, non niſi magna vi eleuandae, viſcido muco obſeſſae, idem oſtendunt. Vti vero oculorum vigor bona quaeuis in morbis promittit, ſic oculus toruus ſiue bulbus oculi, in fixo ſitu detentus, et ſpaſmos internos et deliria inſtantia, ideoque peſſimum morbi ſtatum praenunciat. Superficies bulbi

flaccida

flaccida ſine ſplendore languorem vniuerſalem declarat. Cacochymiae ſigna ſaepius in palpebris liuidis et contractis §. 312. apparent.

§. 374.

Aurium ſuſurrus, ſine laeſione euidenti organi auditus, in febribus acutis potiſſimum grauem morbum praenunciat. In his tamen ſurditas, vel difficilis tantum auditus, nonnumquam bonum ſignum eſt, ſi coctionis tempore obſeruatur, cum ſeroſae materiae decubitum ad aures denotet, quem etiam in faucibus ſaepius obſeruamus. Sapor rerum alienus et lingua, viſcido muco obſeſſa, primarum viarum ſaburram variasque acrimonias declarant. Optimum eſt in morbis, ſi aeger ſapores et odores rerum acceptarum et admotarum diſtinguit, peſſimum, ſi admota vix percipit.

§. 375.

Somni placidi effectus eſt optima elaboratio humorum per miſcelam aptam, in aequali ſanguinis circulo praeſtitam, *Phyſiol.* §. 541. hinc ſolus ſaepe ſomnus morboſam diſpoſitionem humorum corrigit et ſanitatem reſtituit. Somnus ſine euidenti cauſſa deficiens grauiſſimorum morborum prodromus eſt. Abſentia vero ſomni, vt vires ſani corporis debilitat, ſic morbi vehementiam in aegrotis indicat: ſi illa a ſpaſmis et dolore inducitur, his diſſipatis et ſopitis, redit ſomnus, nec mali ominis eſt; ſi vero a nimio humorum motu et acrimonia, minima vaſa irritante, vigiliae continuae oriuntur; cum vires magis magisque conſumant, ſtatum aegri omnino peiorem reddunt.

§. 376.

Somnus insomniis turbatus, ideoque minus tranquillus, magis debilitat, quam reficit; actiones enim animales non quiescunt, sed anxie perficiuntur. Varia quoque insomniorum genera diuersos morbos praenunciant; vti enim grata insomnia, matutino tempore excitata, vix laedunt, sic ingrata, quae sanguinem profusum, incendia, inundationes, et tristes cum vehementioribus animi affectibus coniunctas sensationes inducunt, non tantum morbos praenunciant, sed et alios iam praesentes augent, pessimumque aegroti statum indicant, praesertim si oculis vix clausis et sub initium somni excitantur.

§. 377.

Somnus nimis profundus ipse morbosus est, et morbis aliis accedens, praesertim si continuae a caussis externis ortae excitationes eum comitentur, §. 227. pessimum aegroti statum praenunciat. In crisi appropinquante talis saepius sine insigni periculo obseruatur, qui demum in ipsa crisi, in primis per sudores facta, profundus et tranquillus redditus, omnino boni ominis est. Somnus profundus in morbo diutius durante, sine febre et spe criseos, lethalem morbi exitum denotat, cum vel a sola debilitate, vel ab obstructione et compressione, vel etiam a collapsu vasorum cerebri oriatur.

SECTIO

SECTIO III.

DE ACTIONIBVS NATVRALIBVS VT SIGNIS.

§. 378.

In hac tractatione primo quidem appetitus, digestio, chylificatio et excretio aluina, vt signa, ex actione primarum viarum deducenda, postea autem secretiones variae, ex sanguine factae, ipsaeque cum iis coniunctae excretiones, ex quibus quidem humorum vel mutandorum vel mutatorum indoles apparet, considerari merentur. Sanguificatio enim iam ex actionibus vitalibus patet, nutritio vero vltima ex apta humorum elaboratione et alibi declaratis signis patet *).

*) „Nos quidem iam passim, potissimum vero in hac „sectione varia signa diagnostica prognosticis immi„scuimus, quoniam ex huius doctrinae nexu patent, „nec in capite praecedenti apte satis poni potue„runt.

SVBSECTIO I.

DE ACTIONE PRIMARVM VIARVM VT SIGNO.

§. 379.

Si appetitus ciborum in morbis non deficit, sed moderatus persistit, vel parum imminuitur, bonum signum est; si in morbis, praecipue vniuersalibus, cum febre coniunctis, imminutus quidem est, ideo tamen mali ominis non dici debet,

nisi fastidium insigne simul appareat. Nimium ve- ro cibi desiderium, vt semper acrimoniam in primis viis natam et stimulantem ostendit, sic in morbis grauioribus, febrilibus in primis, pessimum saepe si- gnum est, et interdum delirium indicat.

§. 380.

Sitis, commune febrium symptoma, si grauior fuerit, peiorem morbi statum et summam immeabili- tatem humorum declarat, §. 249. eaque magis ti- menda est, si clamosa, assumto potissimum fluido vix compescenda, et cum siccitate faucium, lingua ari- da, nigra, fissa, sanguinolenta coniuncta sit §. 320. Sitis nulla cum siccitate faucium idem ostendit, cum defectus fluidi salivalis, ab aegro vix perceptus, de- lirium denotet. Sitis immanis cum horrore, a flui- dis quibuscunque admotis excitato, in hydrophobia obseruatur.

§. 381.

Deglutitio, vario modo laesa, in symptomato- logia exposita, anginae nomine potissimum insigni- ta fuit §. 251. Facilis deglutitio in morbis optimum difficilis vero et potissimum sonora pessimum signum est. Singultus siccitatem oesophagi et acrimoniam ad cardiam potissimum haerentem, declarat, conti- nuus vero in morbis grauioribus inflammationem et spasmum oesophagi, ventriculi, diaphragmatis hepatis, renum in iisque natum calculum ostendit quae cuncta ex praecipuorum corporis humani ner- uorum nexu declarantur.

§. 382.

Ardor ventriculi acrimoniam, in eo contentam prodit, cuius indolem ructus, cum sapore peregri-

n

no insurgentes, declarant. Materiae alienae, per vomitum reiectae, indoles et differentia sensibus facile cognoscitur. Cardialgia materiem acrem, in ventriculo detentam, sed immobilem denotat. Vomitus biliosi magis duodeni, quam ventriculi vitia produnt, qui quidem, si iis debilitatur aeger, pessimum sunt signum; si vero post euacuationes vires redeunt, nihil mali vlterius indicant.

§. 383.

Digestionis tempore pondus, in ventriculo et abdomine perceptum, repletionem, nec non digestionem et chylificationem tardam indicat. Tensio hypochondriorum et dolores colici saburrae, in primis viis collectae et spasmorum inde oriundorum, indicia sunt; ex his quoque debilitas primarum viarum et chylificatio laesa perspicitur; ex hac demum infarctus viscerum infimi ventris, malum hypochondriacum, et inde pendentia mala facile praeuidentur. Haec cuncta, si in morbis acutis obseruantur, difficilem crisin inducunt, et pessima symptomata, quibus morbus intenditur, praenunciant.

§. 384.

Aluus iusto laxior et frequentes diarrhoeae debilitatem intestinorum, aut pituitae copiam, non nunquam vermes indicant; si tenesmus accedit, acrimoniam vel ascarides, in intestino recto nidulantes, adesse coniicimus. Virides infantum praecipue deiectiones acidum primarum viarum indicant §. 316. Copiosior mucus, et sine dolore excretus, pituitam primarum viarum, cum tenesmo autem secedens, mucosas haemorrhoides, easque cum acrimonia coniunctas, prodit. Si ichorosa simul aut putrida ma-

teria excernitur, ſcirrhum et cancrum, in inteſtinorum glandulis natum vel breui oriturum, praedicit. Aluus ſicca ſiccitatem inteſtinorum, a fibra rigida et defectu ſeri inteſtinalis oriundam, oſtendit.

SVBSECTIO II.

DE SE ET EXCRETIONIBVS VT SIGNIS.

§. 385.

Hoc loco quidem potiſſimum de vrina, vt ſigno, dicendum eſt, quoniam hic liquor, ex ſanguine ſecretus, ſuo modo collectus et tandem excretus, characteres mutationis humorum diu retinet, et ideo attentione et obſeruatione medici non indignus eſt: non incongruum tamen erit, pauca de excretione cutanea, perſpiratione inſenſibili et ſudore praemittere, cum et huius veſtigia iudicium medici in morbis formandum dirigant. De ſaliua nihil repetendum erit, quoniam §. 380. de ſiti agentes, hanc ſecretionem diiudicauimus. Reliquae vero ſe et excretiones nulla ſigna externe apparentia praebent, quae non ex praecedentibus colligi poſſint.

§. 386.

Cutis mollis, perſpiratione blanda leuiter humectata, bona quaeuis in morbis praenunciat, ſicca vero et aſpera perſpirationem non rite ſuccedere, ideoque difficilem elaborationem humorum et morbum grauem indicat. Sudor largus, in validis et ſucciplenis corporibus ſub initium morborum erumpens, materiam noxiam expellit, morborumque progreſſum

greſſum cohibet, in ſiccioribus et macilentis coctionem difficilem reddit et varia ſymptomata inducit. Si tunc cutis viſcido humore madet, et tangenti quaſi pinguis eſt, humores crudos, nec ſatis elaboratos, ad ſuperficiem corporis et relaxata eius vaſa duci perſpicimus, ex qua re ſumma morbi difficultas cognoſcitur.

§. 387.

Largus ſudor, poſt bonam coctionem tempore criſeos erumpens, blandam morbi ſolutionem producit: ſi tunc foetens eſt, vel parum viſcidus, morbum difficulter quidem, ſed, dummodo vires vitae perſiſtunt, certo ſuperatum iri indicat. In chronicis et acutis morbis foetor ſudoris acrimoniam, in corpore collectam, euolutam et ſubtiliorem redditam, prodit, quae quidem in progreſſu illorum ſenſim diſſipatur. Cum autem dyſcraſia humorum in euolutione multiplicetur, ſaepe fluidiſſima humorum pars, ſudoribus, vel ſpontaneis, vel medicamento excitatis, propellitur et acrimonia perſiſtit.

§. 388.

Relictae huius acrimoniae ſigna praeter pruritum cutaneum ſaepe nulla ſunt; in euolutionibus autem vlterioribus eroſiones et puſtulae oriuntur, quae exanthemata dicuntur, et materiam acrem ac viſcidam, perſpiratione non diſſipandam, ſed in vaſis haerentem, produnt. Haec vel in ſuperficie cutis ſubſiſtunt, et cuticulam eleuant et deſquamant, vel ipſam cutim erodunt, nec non tumores ſub cute in contextu celluloſo efficiunt: ex ſede igitur et varia forma exanthematum ſigna petuntur. Indoles au-

tem materiae ſtagnantis et motae, cum ex ipſa mixtione non pateat, vel ex differentiis cacochymiae §. 312. vel ex ſingulari progreſſu morborum cognoſcitur, v. c. in variolis et ſcabie.

§. 389.

Sola vrinae conſideratio vix idonea ſigna ad morborum diagnoſin et prognoſin formandam exhibet. Medicus igitur rationalis ex aliis ſignis, cum vrina reddita comparatis, morbos diiudicet, aetatem, ſexum, temperamentum, vſum et abuſum ſex rerum non naturalium, in primis alimenta et potulenta aſſumta, varia quoque medicamenta, in morbis exhibita, quae vrinam mutare poſſunt, accurate attendat, tandem et tempora morborum varia, et paroxyſmorum indolem reſpiciat, quoniam, his neglectis, morbi eorumque mutationes ex vrina diiudicari nequeunt.

§. 390.

Vrina naturam et indolem circulationis ſanguinis et humorum ex parte tantum declarat, nam ex pulſu et reſpiratione melius perſpicitur: ex vrina tamen humorum indolem in cruditate, coctione et criſi optime diiudicamus, quoniam mutationes ſanguinis, quae in omnibus quidem humoribus ſe exſerunt, per hanc ſe et excretionem melius patent, quam per aliam quamlibet, inprimis cum varias quoque acrimonias, in ſanguine natas, vrina denotet. Praeterea etiam vrina in morbis viarum vrinariarum certa praebet indicia, quibus in iis declarandis carere non poſſumus; tandem et digeſtionis et bilis quaedam vitia non nunquam luculenter indicat.

§. 391.

§. 391.

Vrina vesica emissa, dum adhuc calet, raro signa certa exhibet, sed in vitro collecta seponi, atque frigida obseruari debet, an scilicet in eadem mixtione permaneat? an sedimentum deponat varium? an superficiem mutet? quippe quae cuncta in examine eius bene attendenda sunt. Et si vero vrina sanorum non numquam obseruanda est, *Physiol.* §. 472 *sqq.* praecipue tamen eam, quae matutino tempore, vel post paroxysmos varios morborum, in primis febrilium, reddita fuit, attentione dignam censemus.

§. 392.

Ratione quantitatis quidem et qualitatis vrina disquiritur, frequentius tamen respectu posterioris, quam prioris indolis. Dum enim contenta vrinae diiudicamus, colorem eius potissimum consideramus, a tenui aquoso pellucido ad intense rubrum progrediendo; inde vero, num aliquid in vrina suspensum haereat, vel sedimentum in fundo depositum reperiatur, attendimus. Licet etiam ex odore non nulla peti queant signa, medicus tamen in nauseoso et excrementitio hoc humore rarius haec signa colligere tenetur.

§. 393.

Si vrina iusto copiosius emittitur, tunc ad abundantiam potus aquosi sumti et alias serosas secretiones, in corpore imminutas, respiciat medicus, quibus ex caussis etiam in statu naturali vrina augetur *Physiol.* §. 472. 786. Simili ratione etiam deficiens vrina ex defectu potus et ex augmento aliarum secretionum serosarum, in primis sudoris, declaratur.

tur. Ex his itaque, in ſe conſideratis, nec bonum, nec malum ſignum vnquam colligi poterit.

§. 394.

Quod ſi vero in morbis copioſa vrina excernatur, laxitatis et debilitatis ſigna generalia vel in viis vrinariis vel in totius corporis dispoſitione attenduntur § 269. Praecipue autem ſanguis, non penitus mixtus, ſeroſas particulas facile dimittit, et lymphaticas ſimul abripit, indeque laxitatem tubulorum vrinariorum inducit. Ex his autem cauſſis acres particulae in humoribus vniuerſis relinquuntur, et in maſſas irreſolubiles coguntur, etiam obſtructiones in abdominalibus viſceribus potiſſimum generantur: cum autem particulae nutritiae ſimul abripiantur, diabetes continua corpora languida reddit.

§. 395.

Vrina vero parcius redditur, propter vias vrinarias aut obſtructas, aut ſpaſmo contractas, cuius quidem impedimenti ratio ex aliis ſignis ſpecialioribus petenda et declaranda eſt. Vel enim ad tubulos renales ipſos, per quos vrina in peluim renum ſecernitur, vel ad viam per vreteres, veſicam et vrethram, vti in calculoſis vel gonorrhoea affectis, reſpiciendum eſt; ſerum quoque, largius ad alia corporis caua deriuatum, vt in hydropis diuerſis ſpeciebus fieri ſolet, conſuetum per vias vrinarias effluxum maxime impedit.

§. 396.

Vrina tenuis, aquoſa, niſi forte poſt ingentem copiam aquae hauſtam mingatur, ſpaſmum, in primis in abdomine ortum et ad renes delatum, vel tena-

cem

cem olei, ſalis et terrae in ſanguine mixtionem, quam aquoſa pars difficulter ingreditur, indicat. Talis in morbis acutis, vbi humores valide agitantur, non numquam peſſimi ominis eſt; denotat enim partium internarum deſtructionem, immo ipſum ſphacelum, in primis ſi praegreſſa fuerit flammea, vt ſummus inflammationis gradus et metuendae gangraenae teſtis. Vti tamen ſemper, ſic praecipue in morbis acutis, difficilem coctionem et criſin, in chronicis autem debilitatem viſcerum et obſtructiones lentas declarat.

§. 397.

In vrina tenui diiudicanda ad ſpaſmorum cauſſas et durationem reſpiciendum eſt: ſi enim hae tranſitoriae ſunt, vt in vehementioribus animi affectibus et poſt partum, nihil mali praedicit. Qui autem ad hypochondriacos et hyſtericos ſpaſmos procliues ſunt, ii non tantum in ipſo morbi inſultu tenuem vrinam excernunt, ſed graues quoque paroxyſmos et inſignia morbi augmenta inſtare inde coniectamus. Et ſpaſmus in calculo interdum talem vrinam efficit, quae tunc non ſemper pura eſt, ſed ſaepe arenulas et flocculos inhaerentes geſtat, nec raro ſedimentum mucoſum deponit.

§. 398.

Vrina citrini coloris, plus minusque ſaturata, ab homine ſano reddi ſolet. Rubra vero et ſimul pellucida, ita, vt in ſummo morbi gradu flammea quaſi appareat, in febribus potiſſimum acutis conſpicitur, in quibus ſummam cruditatem humorum, a tenaci particularum mixtione pendentem, ideoque ex his oriundam difficilem coctionem et criſin denotat. In

violento enim ſanguinis et humorum motu, ſummoque inde oriundo attritu, oleoſae, ſalinae et terreae, nimis ſubtiles factae particulae aquoſis firmiter adhaerent, ideoque difficile inde ſeparari et in nouas mixtiones duci poſſunt.

§. 399.

Quodſi vero vrina talis rubra, flocculis exiguis ſparſim haerentibus quodam modo turbida, et puluere immixto quaſi inquinata appareat, licet verum ſedimentum non deponat, meliorem tamen morbi acuti progreſſum indicat, ita, vt vel breui temporis interuallo felicior coctio et criſis, vel, ſi etiam morbus protrahatur, lenta tamen eius reſolutio expectari poſſit. Si tandem ſedimentum, idque vel album, vel rubellum, in tali vrina deponitur, criſin ex voto ſuccedentem, vel breui ſucceſſuram, indicat. Sedimentum vero copioſum et ponderoſum, mox demiſſum, valido motu criſin fieri deſignat, quae tunc, licet per alia colatoria non impediatur, in primis tamen per renes perfici ſolet.

§. 400.

Vti vero hae mutationes in morbis acutis potiſſimum attendendae ſunt, ſic et in chronicis vrina rubra et ſaturata, ſedimentum rubrum, copioſum, ſquamoſum quaſi et furfuraceum deponens, cum pellicula, ad ſpeciem pingui, acrimoniam, in ſanguine et humoribus natam, cacochymiam et ſcorbutum in primis deſignat. In hydropicis etiam, in quibus acrimonia humorum adeſt, talis deprehenditur, quae tunc boni ominis non eſt, ſed difficilem et vix ſuperandum morbum declarat. Tandem, cum et in atrophicis et phthiſicis ſaepius inueniatur,

niatur, in genere deſtructionem lentam, ab acrimonia, in humoribus euoluta et aucta, natam ſignificat.

§. 401.

Vrina ſpumoſa, inprimis ſi ſpumam diu retinet, in morbis acutis ſummam tenacitatem particularum morboſe mixtarum et difficilem reſolutionem et ſeparationem earumdem, ideoque impeditam et retardatam criſin denotat; in febribus lentis autem ſuccum nutritium reſolutum per hanc et alias ſe et excretiones ſecedere iudicamus, hinc in chronicis quoque morbis aliis ſummam reſolutionem humorum et lentam deſtructionem metuimus. Vrina tunc ſubturbida quaſi lactea et ponderoſior eſt, quod, vt in ſaliuatione mercuriali, ſic etiam in morbis, cum ſumma humorum reſolutione coniunctis, ſaepe etiam grauibus morbis ſuperatis in debilitate relicta cognoſcimus.

§. 402.

In diuerſis his intimae reſolutionis humorum cauſſis ſuperficies vrinae ſplendentem cuticulam interdum et pinguem adſpectu oſtendit, §. 400. quae etiam, oblique conſiderata, non raro colores iridis reflectit. Pinguis quidem non eſt, nec lintea et chartam bibulam oleoſis particulis inquinat, ſed vt cremor in ſolutionibus ſalinis ſupernatat, ac particulas ſalinas viſcido irretitas oſtendit, et quo magis turbida inque ſuperficie ſplendens eſt vrina, eo maiorem cachexiae gradum indicat.

§. 403.

Simili modo inſignem acrimoniam humorum a bile, in ſanguinem effuſa, indicat vrina crocea cum ſedimen-

ſedimento, qualis in ictericis conſpicitur; interdum vero in his vrina crocea, lintea eodem colore tingens, ſine vllo ſedimento apparet. Si color vrinae in hoc vel alio morbo in viridem et nigrum vergit, peſſimae indolis iudicatur; nam acrimoniam humorum atrabilariam indicat, quae tamen tunc temporis ſanguini et humoribus non intime immixta et iis quaſi inuoluta deprehenditur, ſed iam ita aucta eſt, vt vehementi motu continuoque attritu ſolidas partes deſtruat, et vario modo in colatoria corporis effundatur.

§. 404.

Vrina, quae vix in vitrum demiſſa turbida apparet, validos ſaepius paroxyſmos in febribus intermittentibus oſtendit, tunc tamen mali ominis non eſt, licet morbum viribus inſidioſum declaret. In morbis autem acutis magis attendi meretur, ſi, cruditatis tempore talis reddita, iumentorum vrinae ſimilis eſt, vehementem enim morbi gradum et vires debiles indicat; in primis vero hoc inde concludi poteſt, ſi diu turbida manet et ſedimentum vel prorſus non, vel tardius deponit.

§. 405.

Si vrina foetida, vel a ſanis, vel potius ab iis, qui leuiori morbo laborant, mittitur, tunc particulas plurimas noxias per colatorium renum ex corpore expelli, ideoque morbos imminentes praecaueri, et peruerſam humorum indolem per excrementitium hunc humorem ſponte ſecedere, concludendum eſt. Si vero in acutis aeque ac chronicis morbis grauioribus vrina vix in matulam delapſa foetet, peſſimum eorum ſtatum ideo oſtendit, quoniam

niam ſalia et olea ſubtilia reddita mixtionem fluidorum turbant, deſtructionem partium minimarum ſolidarum, et corruptiones viſcerum inducunt.

§. 406.

Mucoſum et viſcidum ſedimentum, in vrina ſubſidens, vel diſpoſitionem ad calculum generandum, vel morbos colli veſicae et vrethrae denotat. §. 397. Sic etiam ſanguis, vel fluidus vel grumoſus, purulenta plus minusque viſcida materia, arenulae, filamenta exigua et alia praeter naturam in vrina apparentia corpuſcula, viarum vrinariarum, nec non veſicularum ſeminalium, proſtatae et glandularum vrethrae eroſiones et vlcera declarant, et in ſpeciali horum morborum tractatione examinari merentur.

§. 407.

Signa haec, ex ſecretione vrinae et aliis corporis actionibus petita et in antecedentibus declarata, generalia tantum ſunt, paucisque ſubinde exceptionibus definita, quae ideo, cum non omnem morborum hiſtoriam abſoluant, et tantum collectiue ſumta ſtatum aegri declarent, in praxi ſpeciali et ſingulorum morborum disquiſitione accuratius ordinari et in eorum diagnoſi et prognoſi explicari debent. Quo vero in difficili hac pathologiae parte aliquod ſpecimen ordinandorum ſignorum exhibeamus, in ſequenti capite de ſignis mutationis morborum in cruditate, coctione et criſi acturi ſumus.

)o(

CAPVT

CAPVT V.

DE SIGNIS MVTATIONIS MORBORVM IN CRVDITATE, COCTIONE ET CRISI.

§. 408.

In corpore ſano mutationem et elaborationem humorum per actionem ſolidorum fieri, ex phyſiologia cognouimus. Ipſae cacochymiae, etſi non omnes, ex diaetae erroribus ortae, modo non abundauerint, viribus ſolidorum excitatis in elaborationibus continuatis corriguntur. Sed magna particularum male mixtarum copia, cum etiam vires ſolidorum labefactet, aegrum ſaepe languidum reddit: quod ſi adeo irritatio materiae morbi ſolida petit, et ad nouos motus elaboratorios vrget, hi ſaepe deſtructorii fiunt, etſi interdum auxiliis directi materiam morbi mutant, peſſimaque parte per colatoria expulſa, ſanitatem reſtituunt.

§. 409.

Hoc, licet in omnibus morbis, ideoque etiam in chronicis, modo iam deſcripto, eueniat, potiſſimum tamen in acutis attenditur, in quibus nimirum motus, febriles dicti, vel ſalutares vel deſtruentes, obſeruantur. Mutatio haec morboſae materiae in cruditate, coctione et criſi, per diuerſa temporis interualla abſoluitur: medicum igitur attentum eſſe iubet, quo hos motus dirigat, deſtruentes compeſcat, moderatos permittat, et ſalutares iuſto debiliores ſuſtineat et augeat.

§. 410.

§. 410.

Has vero mutationes dirigere nequit, nisi ex signis certis statum morbi varium eiusque vehementiam cognoscat, vires vitae agentes cum viribus morbi comparet, et diuersa morbi stadia accurate perpendat. Cuius rei breuem et generalem tantum trademus explicationem, quo auditores nostros in morbis quibuslibet acutis, accurate cognoscendis, exerceamus, et exinde etiam ad cognitionem progressus morborum chronicorum ducamus.

§. 411.

Cruditas dicitur deprauata humorum mixtio, quae aequalem motuum in corpore sano efficiendorum progressum turbat, vt humores nec ad colatoria varia duci, nec ex corpore excerni possint *). In massa scilicet sanguinis et humorum particulae male mixtae colliguntur et augentur, §. 18 *sqq.* §. 25 *sqq.* quae morbosae, vel crudae, vel etiam ab aliis miasma morbosum aut materia peccans appellantur. Etsi enim in statu cruditatis et solidae partes suo modo laeduntur, §. 48 *sqq.* potissimum tamen ad fluida, in circulatione humorum constituta, et ad qualitates eorumdem peruersas respicimus, indeque reliquas in corpore aegroto oriundas mutationes declaramus.

*) „Cruditas vtplurimum in initio morborum, nominatim in febribus acutis, obseruatur; cum tamen omni „morbi tempore particulae non subactae crudae et „laedentes dici possint, e definitione cruditatis notionem temporis exclusimus.

§. 412.

Signa cruditatis ſunt actiones laeſae, quae variis modis a ſtatu ſano recedunt, et morbum praeſentem indicant. Sic igitur actionum vitalium incrementum et decrementum, actionum animalium languor et ad eas perficiendas imbecillitas, in primis laſſitudo ſumma et proſtratio virium, tandem et actionum naturalium laeſio, praeſertim in ſecretis et excretis humoribus conſpicua mutatio morboſa, non tantum cruditatem ipſam oſtendunt, ſed eam iam in corpore moueri declarant.

§. 413.

Haec ſymptomata leuiora interdum ſunt, interdum vero ſigna malignitatis in cruditatis ſtatu occurrunt; pulſus celer, debilis, durus, inaequalis; intermittens, reſpiratio debilis, anxia, inaequalis, languor inſignis motuum muſcularium, ita, vt aeger caput ſuſtinere nequeat; tremores, conuulſiones; ſenſuum externorum obnubilationes, deliria; ſomnus vel nullus vel perpetuus; ſitis ingens clamoſa; appetitus plane proſtratus, vel nauſea cum vomitu materiae bilioſae, putridae; deiectiones aluinae copioſae, foetidiſſimae; vrina tenuis rubra, vel etiam vix emiſſa turbida facta, vel cum ſedimento copioſo; ſudor copioſus viſcidus vel ſiccitas cutanea et his ſimilia.

§. 414.

A ſymptomatum conſideratione ad disquiſitionem cauſſarum regredimur, et variis occaſionalibus ex erroribus diaetae, et praediſponentibus ex con-

conſtitutione aegri expenſis, cauſſam proximam in miaſmate morboſo §. 411. ad cacochymiam quamdam reducendo, nunc moto et euoluto cognoſcimus. Hae cacochymiae raro ſimplices ſunt §. 38 *ſqq.* vtplurimum compoſitae et ſubtiliſatae §. 45. 46. quae ideo ex indole particularum mixtarum non ſatis declarari, ſed ex ſymptomatum vehementia et viribus nocentibus, in vario morbi progreſſu agentibus, ſpectari debent. Ad contagia enim ſaepe reſpiciendum eſt, quae non tantum in chronicis morbis, ſed maxime in febribus epidemicis apparent.

§. 415.

A cauſſis et ſymptomatibus ad magnitudinem periculi in morbis concludimus, et prognoſin inde formamus, ita, vt leuiores cauſſae leuioraque ſymptomata cum viribus vitae ſatis euidentibus, et plurimis actionibus ſanis ſimillimis, morbi ſuperandi ſpem faciant, e contrario vero cauſſae pertinaciores et ſymptomata grauiora, cum viribus vitae debilibus et actionibus, a ſanis multum recedentibus, morbum vix ſuperandum nobis indicent. In dubio autem ſtatu nihil certi pronunciare poſſumus, quoniam vires vitae et morbi in aequilibrio quaſi poſitae deprehenduntur, ideoque in progreſſu morbi demum de eius euentu nos inſtruunt.

§. 416.

Coctio eſt agitatio particularum in motu ſanguinis et humorum inteſtino et progreſſiuo, qua

illae morbofe mixtae refoluuntur et in nouas formas coguntur. Et bona quidem coctio, quae et ftricte fic dicitur, deprauatam humorum indolem in bonam mutare debet, quod duplici ratione fieri cognofcimus: aut enim eae particulae, quae antea morbofae erant, ita refoluuntur et denuo combinantur, vt fanis fimillimae fiant; aut, cum illud raro euenire videatur, bona coctio particulas ita mutat, vt, noxiis per varia colatoria in crifi demum expulfis, reliquis veram mixtionem et aggregationem reftituat.

§. 417.

Sed et coctio interdum imperfecta eft et minus bene procedit, fi particulae agitatae vel non prorfus mifcentur, vel, cum iam deftructoriae fint, maiorem vim nocendi adipifcantur. In priori genere quidem ex circulo humorum eliminantur, non tamen per colatoria promouentur, fed metaftafi in alias corporis partes coniiciuntur; genus alterum vero vix coctio dici poteft, fed potius cruditas continuata et aucta. Quae mutationes, cauffis et fignis bonae coctionis perpenfis, demum confiderandae erunt.

§. 418.

Cauffae, quibus morbofe mixta coquuntur, eaedem funt, quae circulum humorum in fano corpore efficiunt, quae tamen a materia morbofa excitatae vehementius agunt. Ex vna enim parte motus humorum inteftinus, per progreffiuum excitatus, falinas,

ſalinas, oleoſas et terreſtres particulas, in ſero ſanguinis haerentes et male mixtas, reſoluit et in noua mixta, ſanis ſimilia, cogit; ex altera vero parte ipſa particularum indoles in morbo haud adeo graui ita comparata eſt, vt mutationem ex morboſa mixtione in ſanam facilius permittat, et coctionem acceleret. Tandem et his binis cauſſis medicus auxilium ſuum accommodat, et ſub alimenti, potulenti, vel medicamenti ſpecie varia ingeri iubet, quibus vel vires ſolidorum in mutandis fluidis ſuſtinentur, vel mixtionis deprauatae aequalis et facilis reſolutio iuuatur.

§. 419.

Signa coctionis ſunt vires vitae, in actionibus corporis, in primis vitalibus, conſpicuae, cum aliqua remiſſione ſymptomatum morboſorum, ex qua vires morbi decreſcere cognoſcimus. Quo magis itaque pulſus et reſpiratio a ſignis malignitatis §. 414. recedunt, et naturali ſimilem, vel certe non nihil auctam vim oſtendunt, reliquaque morbi ſymptomata imminuuntur, eo maiorem coctionis bonae ſpem concipimus. Licet enim omnes actiones attendendae ſint, ad eas tamen vt principes, in pulſu et reſpiratione, medicus praecipue reſpicit, et reliquas tanquam acceſſorias conſiderat.

§. 420.

Interdum quidem motus in cruditate morbi vehementes ſunt, et materia morbi quodam mo-

do coquitur, ita, vt aliqua eius pars, ex vniuerſali humorum circulo ſecreta, expellatur; attamen vniuerſa coctio non nunquam incompleta manet, vt omnis iſta materies nondum per colatoria corporis tranſire poſſit, ſed peculiaria loca occupet, quo ibidem denuo mutetur, et nouam quaſi coctionem abſoluat. Haec materiae morboſae transmigratio metaſtaſis dicitur, vel criſis metaſtatica, quam in abſceſſibus variis et exanthematibus non nullis deprehendimus.

§. 421.

Hanc vero metaſtaſin in corpore aegroto euenire, ex ſequentibus ſignis cognoſcimus. Si motuum, qui circulationem praeſtant, vniuerſalium vehementia quodam modo mitigatur, et aeger quidem melius ſe habere incipit, attamen ſimul quaedam indicia morboſae materiae, adhuc inhaerentis, oſtendit, quae paulo poſt, in aliquo et peculiari corporis loco collecta, ſe manifeſtat, ita nimirum, vt vel in parotide, vel in aliis glanduloſis locis, vel in celluloſo contextu, inter muſculos extenſo, vel in viſcere quodam, vel in habitu cutaneo, tumor, dolor, tenſio, pruritus cet. collectionem materiae imperfecte coctae in loco quodam factam declarent; tum enim noua quaſi cruditas oritur, quae coctionem iteratam exigit.

§. 422.

Interdum accidit, vt ipſa coctio, dum cruditatem reſoluere incipit, eandem efficiat adeo acrem,

vt

vt miasmata maligna magis magisque resoluantur, extricentur, subtilia fiant, et ad minimas corporis partes ducantur, ipsosque neruos male afficiant, ex qua caussa etiam vires solidorum coquendae morbi materiae impares fiunt. Hinc pessima malignitatis signa §. 414. continuo augentur, et aeger tandem sub ipsa cruditatis euolutione perit. In hac quidem morbi mutatione exanthemata quoque, in cute oriunda, nonnumquam crisin metastaticam mentiuntur, vt in purpura maligna et petechiis; sed ea potius pessimae indolis sunt, cum morbum non leuent, sed corruptionis internae signum exhibeant.

§. 423.

Quod si vero coctio bona rite succedat §. 416. tunc quoque morbus ex voto terminatur, ita, vt materia morbi, vel lenta resolutione, quam lysin dicunt, mutatione in secretis humoribus vix percepta, pedetentim excernatur, vel valida expulsione per varia colatoria corporis, quam crisin stricte sic dictam appellant, eiiciatur, et ita aegrotus sanitati restituatur. Sed si in progressu morbi satis prospero, vel ex indole deprauatae materiae coctioni resistente, vel saepius ex errore, in diaeta vel in medendo commisso, mutatio inopinata eueniat, tunc aut morbus perdurat, et saepius lethalis fit, aut alius et chronicus saepe inducitur, quam infaustam morbi mutationem perturbationem criticam dicunt.

§. 424.

Crisis itaque in vniuersum et vi vocis spectata, iudicium de morbi euentu denotat. Exitus nimirum morbi omne tandem iudicium de eo absoluit, quocunque modo ille eueniat, aut in sanitatem, aut in alium morbum, aut in mortem. Quoniam vero optimus euentus, aut in crisi resolutoria siue lysi, aut in crisi euacuante et materiam morbosam euidenter separante, deprehenditur, vel his vtrisque mutationibus, vel vltimae praecipue criseos nomen addi solet; assimilatio enim, §. 416. qua materia morbi sine omni euacuatione iterum in sanam mutatur, vel numquam, vel rarissime, assumi, semper tamen ad lysin referri poterit.

§. 425.

Lysis siue crisis resolutoria itaque illam morbi mutationem denotat, vbi materia, male mixta, in humoribus nata, in primis transpositione particularum, in materiam sanis humoribus similem, conuertitur; licet non negandum sit, quasdam quoque particulas morbosas per varia colatoria corporis secedere, excretione tamen haud adeo insigni. Cum enim excretiones consuetae et e sano corpore particulas noxias expellant, nullum dubium est, in morbis quibuslibet id magis euenire, etiamsi particulae excretae sensibus non semper pateant.

§. 426.

Lysin ergo fieri cognoscimus, si post mitiora, interdum etiam satis valida, symptomata, in cruditate

tate conſpicua, placidior morbi progreſſus obſeruatur, actiones vitales potiſſimum vigent, nec nimis intenduntur; ſi aeger de grauatiuo quodam ſenſu in corpore conqueritur, qui a ſanitatis agilitate differt; ſi in eo infirmitas ſenſuum et ſaepe grauis auditus, ſtupor et torpor in omnibus actionibus obſeruantur. Cuncta haec ſymptomata, quae in grauiori morbo non numquam vehementiora ſunt, malignitatem quamdam indicantia, ſe et excretionibus, placide interim progredientibus, non niſi lente euaneſcunt, donec aeger, ſibi redditus, praeter debilitatem quamdam, a morbo relictam, nullum incommodum ſentiat.

§. 427.

Vera autem criſis, quae materiam morbi coctione bona mutatam §. 416. eiicit, et ideo euacuans dicitur §. 423. illam ſemper ſequitur. Cum enim in coctione motus inteſtinus et progreſſiuus ſanguinis et humorum paulo languidius, et ſaepe vt in lyſi §. 425. procedat, nunc intenditur, et materiam morbi ad excretionem aptam viribus auctis mouet, per varia corporis colatoria, et quidem per nonnulla largius, expellit, et ita finem morbi facit, etſi languore adhuc remanente, apta diaeta diſcutiendo.

§. 428.

Haec quidem mutatio definitis ſaepe temporibus abſoluitur, vt agitatio maior, vno die peracta, ceu fortior paroxyſmus, poſt aliquod temporis

interuallum euacuatoriam crisin futuram iri praedicat. Dies nimirum septimus est index noni, vndecimus decimi quarti, decimus octauus vigesimi primi. In omnibus tamen morbis tam regularis materiae morbosae mutatio haud expectari debet, sed euentus morbi potius ex coctione, huc vsque peracta, et symptomatibus criticis perspicitur, licet et indicia criseos et crisis ipsa pro differentia aegrorum et indole morbi interdum accelerentur, interdum retardentur.

§. 429.

Quoniam vero symptomata critica cum morbosis §. 413. saepissime conueniunt, attentus omnino sit medicus, vt ea annotet, distinguat et moderetur. Sunt illa vero, quae sequuntur, generalia: incrementum virium, vel certe consistens earum robur; aucta febris in aestu et siti conspicua; respiratio profunda, lenta, molesta; anxietas insignis praecordiorum, vel cum vigiliis, insomniis et deliriis, vel cum torpore et grauitate corporis singulari, obnubilatione sensuum et somnolentia. Specialia vero, diuersis crisibus propria, signa vix enumerari, sed ex specialibus morborum historiis peti possunt.

§. 430.

Eadem etiam in metastasi interdum eueniunt, quae tamen non semper tam placide procedit, vt superius §. 420. annotauimus, sed vera crisis metastatica et illa in primis, quae in febribus exanthematicis obseruatur, grauiora saepius symptomata osten-

oſtendit. His enim tunc temporis accedunt rubor cutis, cum titillatione et punctura, nec non alia ſigna malignitatis §. 413. quae peſſimum ſaepius materiae morboſae, nunc motae, ſtatum declarant, praeſertim, ſi vel copia eius, vel defectus virium, abſolutam propulſionem impediat, et hos morbos difficiles iudicatu reddat.

§. 431.

In ſymptomatibus itaque morboſis et criticis diſtinguendis actiones vitales prae reliquis attendendae ſunt, quas, ſi efficaces cognoſcimus, licet de reliquo peſſima oboriantur ſymptomata, haec tamen eſſe critica, maxima cum probabilitate colligimus. Si vero actiones vitales admodum labefactatae inueniuntur, morbi ſymptomata vitam ſuperare, concludimus. Praeter ea vero, de his iudicaturus, conſtitutionem aegri in praegreſſa ſanitate, et progreſſum morbi in cruditate et coctione bona perpendat, quae iudicium de motu critico, vel morboſo facilius reddunt. Si tandem in difficillimo morbi ſtatu et ipſe medicus dubius haeret, attenta expectatio aliquot horarum vel leuamen, vel augmentum morbi declarant.

§. 432.

In primis vero de felici morbi euentu certiores reddimur, ſi criſis ipſa in excretionibus apparet; ſi ſudor, alui fluxus, vrina, haemorrhagia, ſaliuatio vel alia, quae in criſi metaſtatica obſeruantur, abſceſſus et exanthemata cum leuamine et quiete aegri accedunt et prorumpunt. Si tandem pro ratione aucta-

rum harum excretionum ſymptomata morbi decreſcunt, ſpes etiam ſanitatis recuperandae multum augetur.

§. 433.

Ipſam vero criſin euacuantem bonam et ad morbum diſſipandum ſufficientem eſſe, non primo intuitu, ſed ſaepius poſt decurſum aliquot dierum experimur. Rariſſime enim morbi vno impetu ſoluuntur, et, ſi hoc accidit, poſt validam euacuationem primariam, v. c. ſudoris, ſucceſſiuae, ſed mitiores aliae, v. c. per vrinam, ſequuntur. Licet igitur excretiones criticae ab initio ſaepe haud optimae indolis eſſe videantur, tamen, ſi magis magisque ad ſanum ſtatum accedunt, vt in doctrina de ſudore, vrina cet. paſſim declarauimus, bonae notae iudicantur. Cum etiam criſes interdum ex epidemico morborum ſtatu, ex conſtitutionibus aegri in vitae genere, ſexu et aetate, variisque aliis mutationibus iudicentur, experientia, ex praxeos ſpecialis doctrinis acquiſita, medicum in iudicio ſuo dirigat et certiorem reddat.

§. 434.

Eo vero tempore, vbi vel criſis euacuans, vel reſolutoria, vel tandem metaſtatica feliciter ſatis progredi videntur, non nunquam accidit, vt perturbatio critica oriatur §. 423. et materia, iam ad mutationem et expulſionem diſpoſita, denuo oberrare incipiat, quae quidem res cum in vltimo hoc morbi ſtadio, et aegro debili iam per morbum facto, accidat, rariſſime bonam coctionem, denuo incipiendam, promit-

promittit, ſed materia morbi, vel aegrum occidit, vel alium morbum et chronicum ſaepe relinquit.

§. 435.

Signa itaque malignitatis in perturbatione critica ea ſunt, quae §. 413. in cruditate adduximus: accedunt tamen et alia, v. c. ſiccitas in ore, cum ſorditie et cruſtis, in lingua et faucibus, ſingultus continuus, pulſus debilis, vel inaequalis, vel mire mutatus, ad conſueta interualla vix reducendus §. 353. reſpiratio ſtertoroſa, ſuffocatiua, ſublimis, tremores et motus conuulſiui, completi et incompleti, v. c. ſubſultus tendinum, inquietudo ſumma, vel ſitus incommodus corporis, oculi triſtes, lacrymoſi, mox fixi, mox vagi, deliria, non ferocia, ſed cum motu laborioſo et vagis palpationibus, aliaque varia, quae inſolitam mutationem in corpore oſtendunt.

§. 436.

Quamuis vero et in periculoſo hoc ſtatu excretiones variae ſuccedunt, minus tamen conuenientes iudicantur, ſi vel inſcio aegro, vel cum ſumma moleſtia fiant, nec a viribus vitae, ſed vehementia morbi pendeant, vel materia excreta peſſimam et deſtruentem indolem declaret. Sic ſtillicidia ſanguinis, variis in locis obſeruata; ſudor particularis cum refrigerio extremorum, isque potiſſimum pinguis, oleoſus, frigidus; vrina, ſaepius reddita, tenuis, vel foetidiſſima, et alia plura, lethalem morbi exitum, mox ſequuturum, ſaepiſſime praenunciant.

§. 437.

§. 437.

Rariſſime quidem, his euidentioribus lehtalitatis ſignis ſe prodentibus, vires vitae latentes refocillantur, ac ſi vel maxime aliquando violentia morbi ſenſim deſinat, et aliqua quies reſtituatur, ea tamen ſemper medicum de morbo lento, per materiam malignam, in aliqua corporis parte, potiſſimum in viſcere nobiliori, depoſitam, vel in illo adhuc oberrantem, excitato, ſollicitum eſſe iubet. Inſignis tamen virium proſtratio, cum lenta febre perdurans, ſaepius intra breue temporis ſpatium vitae finem facit: ſaltem viribus vtcunque redditis, moleſti ſaepius morbi, vt cephalaea, aſthma cet. relinquuntur, qui quidem, niſi noua oriatur febris, ideoque noua coctione immutentur, vix ſuperari poſſunt.

❀):(❀):(❀

INDEX.

NVMERVS § INDICAT.

Cram-

M. Mali-

M.

N.

O.